



Nab. 7

MICHAEL KRISTE
1655



ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ
SACRÆ
DISPUTATIO XXIX.

De

CERTITUDINE
IUSTIFICATIONIS VEL
REMISSIONIS PECCATORUM.

In inclyta VVitteb. Academia
ad placidam collationem proposita,

SUB PRÆSIDIO

BALTH. MEISNERI, SS. Th. D.
& Profefs. Publ.

RESPONDENTE,

BERNHARDO DERSCHOW
Regiomontano Boruffo.

Habebitur ad diem 26. Novembris.

WITTEBERGÆ,
Typis GORMANNIANIS, Anno 1618.



ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ
S A C R Æ
DISPUTATIO XXIX.

De

CERTITUDINE IU-
STIFICATIONIS VEL REMIS-
SIONIS PECCATORUM.

Thesis I.

Doctrinam de Justificatione in tria præ- *Continuatio.*
cipuè capita dispescimus. *Primum* egit de terminis,
in hoc articulo sæpè occurrentibus. *Secundum* ex-
posuit singulas causas, in quibus totum δικαιοσύνης
nostræ negotium consistit. Restat caput tertium, ubi
de Certitudine Justificationis differendum, Num videlicet Christia-
nus certò & possit & debeat credere, sibi propter Christum pec-
cata gratuito esse remissa? Gravis est maximique momenti hæc
quæstio, ita quidem, ut si circa illius decisionem erretur, in meras
dubitationes, imò ipsius desperationis voraginem, cum æterno
animarum exitio præcipitemur. Diligenter proinde inquiren-
dum erit, quid secundum Scripturæ ductum de hoc themate sta-
tuendum sit? Nos autem pugnamus pro certitudine salutis, Ponti-
ficii pro dubitatione. Ut igitur vera doctrina & cognoscatur & asse-
ratur, duas quæstiones formabimus.

I. Quis inter nos & Pontificios de certitudine gratiæ verus sit contro-
versie status.

II. Quibus præcipuè argumentis dubitationem impugnare, certitudi-
nem probare valeamus?

A 2

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quis inter nos & Pontificios de certitudine gratiæ verus sit controversiæ status?

II, Circa formationem status observari possunt sequentia capita. 1. Dissensio Pontificiorum. 2. Tergiversatio Concilij Tridentini. 3. Opinio Bellarmini. 4. Num Pontificij propugnent dubitationem? 5. Origo & fontes hujus dogmatis. 6. Expositio nostræ sententiæ 7. Τά μὴ ἤντ' ἔστω. 8. Verus controversiæ status, de quibus membris ordine agemus.

Dissensio Pontificiorum circa hunc articulum.

Dissidium Catharini & Soti.

III. I. DISSENSIO PONTIFICIORUM. Hanc ne quidem Bellarminus ipse dissimulare potuit, siquidem l. 3. de iustific. c. 11. expressè faterur, tres numerari inter Catholicorum sententias, quarum Vna, inquit, quæ est Ambrosij Catharini, non solum dubitationem omnem excludit, sed etiam addit, posse justos habere de sua justificatione certitudinem fidei divinæ. Altera sententia non docet quidem certitudinem fidei divinæ, affirmat tamen, posse, imò etiam solere homines perfectos ad eam securitatem venire, ut nullam habeant de sua securitate formidinem. Tertiam ait, in Ecclesia communior esse, quâ non tollatur omnis formido, & concedatur aliqua certitudo, sed moralis tantum & conjecturalis. Ita ergò in Ecclesia Romana quidam certitudinem omnibus justis, quidam solis perfectis, quidam nulli prorsus Christiano tributam volunt. Et sanè notum est ingens istud dissidium Ambrosij Catharini, Archiepiscopi Minorientis, & Dominici à Soto, quorum ille justificationis certitudinem multis argumentis gravissimè defendit, hic acerrimè impugnavit, dum Catharino sic respondit: Dissensio, quam inter meam, tuamq; mentem nullam extra verba esse existimas, hæc est in re maxima. Porro quod tu arbitraris, posse fieri hominem certum suæ gratiæ, certitudine, quæ licet non sit æqualis fidei Catholicæ, sit tamen vera fides, id est, omnem prorsus dubitationem excludens, atq; id quidem lege communi, nempe testimonio illo, quod, Authore Paulo, Spiritus sanctus reddit Spiritui nostro, quod sumus filij DEI; hoc ego verò, salvâ pace & auctori-

toritate tuâ, credo esse omninò falsum. Neque tamen solus ille Ca-
tharinus communem Ecclesiæ Romanæ errorem agnovit, sed
præter ipsum & alii nostram de certitudine doctrinam haut ob-
scurè adprobârunt. Nam in Enchiridio Coloniensi, anno 36, edi-
to, hæc leguntur verba clarissima fol. 170. Fatemur verum esse, ad
justificationem hominis omninò requiri, ut homo credat non tantum gene-
raliter, quod propter Christum verè pœnitentibus remittantur peccata, sed
& quòd ipsimet homini credenti remissa sint propter Christum per fidem.
Et hanc Enchiridii sententiam vehementer commendat Geor-
gius Cassander in sua consultatione artic. 4. pag. 11. additque, librum
illum, ab omnibus eruditioribus Theologis etiam per Italiam & Galliam sum-
moperè fuisse collaudatum, ut qui summam sententiæ veterum de Christia-
na religione (ex quorum scriptis quasi confirmatus sit) pulcherrimè referat;
Bellarmino verò liber ille censurâ Ecclesiasticâ dignus videtur l. 3. de
Iustific. c. 3. Idem Cassander commemorat pag. 12. quòd illa ipsa ex-
plicatio (de certitudine remissionis peccatorum) posita fuerit in libro
Cesar. Majest. Ratisbonensi, cujus formam loquendi, ut potè non satis scho-
lasticam, quamvis Eccius per omnia non probârît, rem tamen ipsam, in
quam Collegæ ejus consenserant, non improbâsse scribit. In eo autem li-
bro ita statuitur: Firma & sacra doctrina est, per fidem vivam & effi-
cacem justificari peccatorem. Vocamus autem fidem vivam, motum Spiri-
tus sancti, quo verè pœnitentes veteris vitæ, eriguntur ad DEVM, & ve-
rè apprehendunt misericordiam in Christo promissam, ut jam verè senti-
ant, quòd remissionem peccatorum & reconciliationem, propter meritum
Christi, gratuita Dei bonitate acceperunt, & clamant, Abba Pater. Ad-
dit Cassander pag. 15. Certè nemo est Ecclesiasticorum, nec è Scholasti-
cis quidem, qui non hanc fiduciam & certitudinem de gratia & misericor-
dia DEI, & glorificatione futura diligenter urgeat, & dubitationi ac
diffidentie opponendam censeat. Et pag. 17. Adhæc doctores hujus æta-
tis non se dubitationem docere dicunt, quâ de misericordiâ DEI dubitetur
& diffidatur, sed timorem DEI, quo sollicitudo benè operandi, & acce-
ptam gloriam conservandi in nobis excitetur & augeatur, de quo Apосто-
lus: Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Eum
timorem castum & filialem appellant, quem perfecta charitas non pellit;
sed retinet & fovet, qui timor semper fiduciam & spem paternæ benevo-
lentiæ adjunctam habet. Similia scripsit Cornelius Bitontinus in cap. 8.

Rom. ubi hæc verba: *Qui in Christo Iesu sunt, nihil habent, unde timere debeant, siquidem securi sunt de salute.* Et refertur de Antonio Marinario, quod in confesso Patrum Concilii Tridentini Dominica 4. in Quadragesima, anno 1546. dubitationem expresso refutavit, cujus verba, cum sint proluxa, non adscribam, videri autem possunt apud Dn. D. Gerhardum Tomo 3. LL. CC. art. de iustific. § 93. pag. 1241. Hinc Bellarminus ipse fatetur l. 3. de Justific. c. 1. *Incertitudinem iustitiæ & gratiæ non solum contra hereticos, sed etiam contra Catholicos quosdam probandam esse.* Cadit igitur toties jactata Romanensium consensus & unitas, nec parum suspecta redditur doctrina Papalis, quippe quæ tam incerta est, ut ab ipsis etiam eruditionibus, inque Scriptura exercitatis Theologis Papisticis minimè adproberetur.

*Tergiversatio
Concilij Tri-
dentini.*

IV. II. TERGIVERSATIO CONCILII TRIDENTINI. Videntur Patres isti non consensisse de summo hoc religionis Christianæ articulo, ideoque stylum sic informaverunt, ut cui sententiæ faveant, haut satis animadverti possit. Hinc talem fecere titulum c. 9. sess. 6. *Contra inanem hereticorum fiduciam, innuentes, quod temerariam fidei jactantiam tantum velint damnatam.* Ita enim decerunt l. d. *Quamvis necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa fuisse unquam peccata nisi gratis divinæ misericordiæ propter Christum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel demissa esse dicendum est: cum apud hereticos & schismaticos possit esse, imò nostrâ tempestate sit, & magnâ contra Ecclesiam Catholicam contentione predicetur una hæc, & ab omni pietate remota fiducia.* Quæ sanè verba nihil aliud, quam superbam fiduciæ jactantiam excludunt. Mox verò latiùs progrediuntur, & ipsum dubitationis dogma stabiliunt, cum dicunt: *Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui verè justificati sunt absque ullâ omninò dubitatione, apud semet ipsos statuere, se esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi & justificari, nisi eum, qui certò credat, se absolutum & justificatum esse: atque hæc solâ fide absolutionem & justificationem persici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet.* His profectò verbis certa fiducia veniæ, & infallibilis spes gratiæ in totum videtur excludi, ideoque Concilii authoritatem cum primis urget

Bellar.

Bellarminus contra Catharinum l. 3. de iustific. c. 3. Sed rursus fluctu-
antis animi signa addunt, & dubitationem respectu promissio-
num divinarum exclusam volunt, respectu tamen infirmitatis
nostræ iterum introducunt. Ita enim concludunt: Nam sicut nemo
pius de DEI misericordia, de Christi merito, deq; Sacramentorum virtute &
efficacia dubitare debet: Sic quilibet dum seipsum, suamq; propriam infirmi-
tatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest:
cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gra-
tiam DEI esse consecutum. Quis non videt, hinc varia misceri, & Pa-
tres sibiipsis minimè constare? Non negatur, quòd si propriam
infirmitatem spectemus, formidandum sit: Interim cum pro-
missiones divinæ sint certæ, cum gratia Dei & meritum Christi
sit efficax, cum Sacramenta fidem stabiliant firmissimè, non uti-
que inanis erit fiducia, si quis nixus his fulcris solidissimis, gratui-
tam peccatorum veniam sine dubitatione credat.

V. Observârunt hanc Concilii ambiguitatem flexiloquam
ipsi Pontificii, ex quorum numero est Catharinus, qui referente
Flacio l. de dissens. Pontif. p. 85. apertè scripsit: Deduco, contra hanc
nostram sententiam nihil pronuciâsse Synodum Tridentinam, quod ego in
primo meo detexi libello, quem ad præsidentes ipsi Concilio (quorum alter Dei
gratiâ summus est Pontifex, Iulius III.) & ad ipsam sacrosanctam Synodum
destinavi, eos alloquens his planè verbis; Adde, quòd sæpius protestati sint am-
bo præsidentes, & specialiter in hac controversia, tum in conventu Patrum,
tum verò in congregatione Theologorum, & ambos audivimus contestantes,
non videri sibi questionem hanc satis discussam ad decisionem. Imò ipsamet
SS. Synodus his declaravit, huius rei definitionem tunc omittendam esse, & in
aliud tempus servandam, sicut in actis possit apparere. Deniq; ipse titulus novi
capitis hoc manifestat abundè, qui sic habet: Contra inanem hæretico-
rum fiduciam. Consimiliter Martinus Eysengrein peculiari scripto
dogma dubitationis impugnavit, & apertè contendit, Concilii
Tridentini sententiam non fuisse aliam, quàm quòd hypocritæ,
Epicurei, hæretici, destituti verâ fide, perseverantes in atrocibus
delictis contra conscientiam & similes, non debeant certò sta-
tuere, quòd sint in gratia. Ex his ergò Pæpicularum assertionibus
manifestum sit, quàm incerti sint ipsi de incertitudinis suæ do-
ctrina, & quàm meticulosi tepidique fuerint circa huius proble-
matis

matris decisionem Patres Tridentini, quod iterum opinionem Papisticam nobis vehementer suspectam reddit. Quamvis enim dubitationem magis propugnet Synodus, quam fiduciam, & anathemate percutiat omnes certo credentes peccatorum veniam: attamen verbis hoc faciunt adeo ambiguis, ut nihil conclusum decisum ve fuisse, à Pontificiis non vulgaribus asseratur.

Opinio Bellarmini.

De certitudine objecti.

De certitudine subjecti.

VI. III. OPINIO BELLARMINI. Proponit hanc l. 3. de Justific. c. 2. & seqq. dicitque, *Certitudinem nihil aliud esse, nisi firmitatem quandam, & immutabilitatem veritatis. Illud enim nominari certum, quod exploratè & immobiliter est verum.* Admittimus hanc generalem certitudinis descriptionem, ita tamen ne distincti illius gradus tollantur aut negentur. Subjungit verò distinctionem, quòd alia sit *certitudo objecti*, id est, rei cognitæ. Alia *subjecti*, id est, hominis cognoscentis. Prior certitudo juxta ipsum est *immobilitas rei, quæ reverà aliter se habere non potest, quàm creditur vel cognoscitur: quâ notione dicimus, certum esse, DEVM esse bonum, peccatum esse malum.* Verùm hæc certitudo non est hujus loci, quippe cum non quærat de rerum necessitate aut immutabilitate, sed de piorum cognitione & fide, *Num sciunt & credere possint sibi propter Christum peccata esse remissa?* Deinde abusiva locutio est, si quis necessitatem objecti appellet certitudinem. Nam hic terminus non est absolutus, sed magis respectivus, *quædam* habens, ad hominis notitiam & assensum, qui vel certus vocatur, si res plenè planeque sit cognita, vel incertus, si animus fluctuet, nec veritatem satis percipiat. Certitudo igitur est affectio non tam rerum quàm cognitionis nostræ, ita quidem, ut cum dicitur, *certum est, DEVM esse bonum*, per certitudinem non præcisè immutabilitas objecti, sed potius firmitas nostræ notitiæ intelligatur, adeoque sensus sit: *Certum est, hoc est, exploratè verum, omnibusque naturâ quasi impressum, quòd DEVS sit bonus, & peccatum sit malum.*

VII. Explosâ igitur certitudine objecti, restat certitudo *subjecti*, vel hominis cognoscentis, quem Bellarminus dicit esse *firmitatem quandam assensus nostri ad rem, quæ cognoscenda vel credenda proponitur, ut cum dicimus, hoc mihi est certum, ego de hac re certus sum, id est, ita firmiter adhareo huic sententiæ, ut prorsus de illius veritate non dubitem.* Hanc vero certitudinem rursus dispescit in duas speci-

tione cōprehendi nequit, non statim obscura nuncupari debet. Hic quidem cognoscimus quasi per speculum, & scientia nostra est ænigmatica, 1. Cor. 13. v. 12. comparatè nimirum respectu scientiæ plenissimæ, quam expectamus in cælo: ob id tamen non absolutè obscura est vel fides, vel certitudo fidei, ut Bellarminus nugatur, quippe qui lib. 1. de Iustificat. cap. 7. scribere non veretur, fidem melius per ignorantiam, quàm notitiam definiri, quem ipsum errorem sub pallio certitudinis obscuræ hîc incrustare voluit.

Gradus secundus.

IX. Sed pergît Bellarminus, & secundum obscuræ certitudinis gradum commemorat, in quo res illas collocat, quæ creduntur ob auctoritatem humanam, sed ita confirmatam & celebrem, ut omnem formidinem prorsus excludat, qualia sint, Ciceronem & Virgilium fuisse insignes viros, Augustum magnæ parti orbis terrarum feliciter imperâsse, &c. Atque hanc vocat certitudinem fidei humanæ, sive certitudinem moralem, quæ tametsi non tanta sit, ut ei nullo modo falsum subesse possit, (omnis enim homo mendax) tamen tantam esse iudicat, ut temerarius merito iudicetur, qui contra sentiat aut disputet. Agnoscimus hanc certitudinem gradu longè inferiore esse respectu primæ, cum nullum fundamentum habeat aliud, quàm auctoritatem humanam, quæ opinionem quidem parit, sed non fidem vel scientiam, quippe cui, ut illi, falsum subesse haut potest. Interim si consensus omnium, vel plerorumque hominum in aliqua re conspiret, & consentienter affirmetur ab iis, qui coràm viderunt, vel ex certis principijs collegerunt, tum sanè non est hæc obscura certitudo, sed potius suo modo evidens & luculenta. Ut enim in certitudine, sic & in evidentia distincti gradus debent constitui. Verùm non opus est, ut diu hîc immoremur, cum de hac morali, & humanis tantùm testimoniis superstructa certitudine quæstio nostra minimè sit instituta.

Gradus tertius.

Certitudo conjecturalis est mera incertitudo.

X. Restat ergò tertius gradus obscuræ certitudinis, ad quem Bellarminus illa refert, quæ tot signis & conjecturis nituntur, ut securum hominem reddant, non tamen formidinem omnem expellant, atque hanc vocat certitudinem conjecturalem, quæ opinionis potius sit, quàm fidei. Verùm hæc certitudo nihil est aliud, quàm contradictionis implicatio & mera incertitudo. Suprà Bellarminus certitudinem in genere definivit, quòd sit firmitas quædam & immutabilitas veritatis, si quidem non nisi illud dicatur certum, quòd exploratè & immobiliter sit verum,

verum. At verò certitudo conjecturalis non est firmitas & immutabilitas veritatis, sed nuda opinio, solis conjecturis, iisque fallibilibus superstructa. Ergò certitudo conjecturalis non est certitudo, hoc est, *ipsum, non est ipsum*. Rursus, *Omne certum est exploratè verum*, juxta Bellarmini descriptionem. Sed quæ ex conjecturis opinamur, illa non sunt exploratè vera. Ergo nec sunt certa, unde iterum sequitur, quòd certitudo conjecturalis nulla sit certitudo. Tandem, qui formidat & formidare debet, quòd fortè contrarium sit verum, ille non potest non fluctuare & anxius esse. At verò qui certitudinem habet conjecturalem, ille semper formidat & formidare debet, quòd fortè contrarium sit verum. Ergò qui certitudinem habet conjecturalem, non potest non fluctuare & anxius esse. Unde v:issim sequitur Bellarminum implicare ἀντιφασιν, cum scribit, *certitudinem conjecturalem excludere quidem anxietatum, sed non formidationem*. Ubi enim non excluditur metus, ibi nec excluditur anxietas, cum metus nihil sit aliud, quàm angor animi formidantis id, quod displicet & dolorem afferre potest: Manet igitur, quòd certitudo conjecturalis, hominem secutum reddere haut valeat, sed quia metum contrarij non expellit, mera sit dubitatio & incertitudo, unde sequitur, eum, qui de salute sua non nisi conjecturaliter certus est, semper dubitare, adeoq; incertissimum esse, de quo ipso plura membro 4. dicentur.

XI. Præmissis jam istis distinctionibus certitudinis, pergit Bellarminus ad *indagandum controversia statum*, & i. negat, quòd Pontificij fidem justificantem doceant esse dubitationem. Hoc ipsum verò in sequentibus ad oculum demonstrabitur. II. Statum à Chemnitio propositum examinat, qui sic habet: *Vtrum peccator in seria pœnitentia, ex fide vera in Christum, possit certâ fiduciâ statuere, sibi remissa esse peccata*. Duo hic desiderat: i. Quòd quæstio sit *conditionalis*. Nam illud, *in seria pœnitentia*, idem significare, ac si diceretur, *si seria sit pœnitentia*: quæ præsuppositâ, neminem Catholicorum ad quæstionem istam negativè respondere. Verùm Sophisticè agit Bellarminus, quippe qui nosse debebat, verbis illis non proponi conditionem aliquam meritoriam, sed duntaxat describi *subjectum*, quod veniam peccatorû debet credere. Nec n. quivis de gratia Dei potest esse certus, cum Epicurei & impœnitens iram sibi attrahant, & de venia gloriari nequeant. Pœnitentib. tantùm & fidelib. hoc

Num Chemnitius statum quæstionis vitiosè formaverit?

*Status à Bel-
larmino for-
matus.*

*Num Pontifi-
cij statuunt
dubitatio-
nem? A.*

esse proprium novimus, & ipsi urgemus. Quòd autem aliquis de
sua pœnitentia possit esse certus, nemo negabit facilè, qui cogita-
verit, eam nihil esse aliud, quàm contritionem ob peccata, &
fidem in Christum, quæ num adfuit, vel secus, quivis sanè cogno-
scere, adeoque seipsum probare potest. Papicolas quidem de
hoc dubitare oportet, cum iis pœnitentia sit summa contritio,
perfecta omnium delictorum enumeratio, & æquivalens pro
peccatis satisfactio, quæ cum in hominem non cadant, dubius
semper ut hæreat, ultrò consequitur. 2. Quòd non de fiducia, sed
de fidei certitudine disputetur. Neq; enim ait, *Catholici negant, certam
fiduciam in Deo collocandam esse, & certò confidendum, post actam legitimè
pœnitentiam & Sacramentum Baptismi, vel absolutionis ritè perceptum,
remissa esse peccata. Sed adversarij ut fidem cum fiducia, ita certitudinem
fidei cum certitudine fiduciae confundunt. Verùm malè fidem à fiducia
discerpit, cum fides nihil sit, nisi fiducia. Deinde per certitudi-
nem fiduciae non intelligit aliam, quam conjecturalem. Hanc
verò meram esse dubitationem, & antè probavimus, & postmo-
dum luculenter evincemus. 3. Statum quæstionis sic proponit;
*Vtrum debeat ac possit aliquis, sine speciali revelatione certus esse, certitudine
fidei divinæ, cui nullo modo potest subesse falsum, sibi remissa esse peccata?*
Verùm nimis generaliter & illimitatè proponit subjectum. Non
enim quæstio de quovis homine, sed de pœnitente & ad Deum
converso. De tali controvertitur, *Annon innitens divinis promissio-
nibus, quas verà fide apprehendit, certò sine dubitatione possit ac debeat cre-
dere, se in gratiam receptum, & sibi peccata esse remissa?* Negativam eli-
gunt Papicolæ, nos affirmativam, quæ infra plenius declarabitur.*

XII. IV. Num Pontificij statuunt, de remissione
peccatorum esse dubitandum? Strenuè hoc inficiantur Je-
suwitæ, siquidem Bellarminus l. i. c. ii. audacter asserit: *Nullum
esse Catholicum scriptorem, qui doceat, oportere homines perpetuò dubitare
& hesitare de sua cum Deo reconciliatione. Et Reihing scribit fundam.
i. civit, sanctæ p. 13. Nec jubent nostri, nec hortantur, ut dubitet, sed ut for-
mideat ac timeat bona conscientia. Verùm metus vel cum fiducia con-
junctus est, & filialis, vel à fiducia separatus, & servilis nuncupatur.
Ille dubitationem non admittit, hic semper comitem habet. Illum
Papicolæ non intelligunt, hunc urgent, ideoque dubitationem à
metu*

metu non excludunt: quod ipsum partim ex verbis, partim ex hypothesibus Papicolarum luculenter patet. Concilium Tridentinum sess. 6. c. 9. decernit, non esse asserendum, oportere eos, qui verè justificati sunt, absq; ulla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos. Si ergò non absque dubitatione hoc statuendum est, utique aliquis hæsitationi locus relinquitur. Andradius in defensione Concilij Tridentini ad illud, quod Jesuwitæ scripserunt, (Fideiis quidem firmiter sperat vitam æternam, & quod magis est, confidit etiam, non tamen certò credit, sed dubitat, spes enim fallere potest) responsurus inquit, spem habere aliquam dubitationem conjunctam & implicatam. Petrus à Soto, in Confess. Tutum, air, humilimum est, de Dei in me gratia atq; presentia DUBITARE. Costerus idem tradit in Enchir. c. 4. de fide, in p. 187. sic concludens: Fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit Christus in nobis esse.

XIII. Jam si hypotheses & praxin Ecclesie Romanæ consideremus, clarissimè apparebit, Papicolas dubitationis & incertitudinis patronos esse.

Nam 1. Certam divinæ gratiæ fiduciam prohibent: unde nil sequi potest aliud, quam mera dubitatio. Contrariorum enim uno remoto, ponendum est alterum. Fiducia verò & hæsitatio vel dubitatio, sunt opposita, ut liquet ex illo Apostoli Jac. i. v. 6. Postulet in fide, nihil hæsitans. Quia ergò certam fiduciam Papicolæ volunt remotam, hoc ipso dubitationem stabiliunt.

2. Spem veniæ & salutis, si non in totum, tamen ex parte, in proprijs meritis ponendam esse statuunt. Ita enim scribit Gregorius de Val. tom. 3. disp. 2. quæst. 1. punct. 1. Ex qua doctrina facile confutari potest error hujus temporis sectariorum, qui nullo modo putant, hominem debere spem salutis collocare in ullis bonis operibus suis, sed in solâ gratiâ Dei. Sed ex his, quæ diximus, perspicuum est, operibus etiam bonis, ut à gratia procedunt, posse quoque ac debere niti nostræ salutis spem, hoc ipso, quòd ea conducunt suo modo ad salutem. Hinc perpetuò urgent proprias dispositiones, satisfactiones, opellas, Hinc omnes, qui peccatorum veniam querunt, non rectà ad Christum, sed potius à Christo ad Mosen, ab Evangelio ad legem deducunt & per opera pœnitentiæ, per missas, peregrinationes, indulgentias Papales, & confictas traditiones circumducunt, ut in illis aliquam remissionis spem querant. Quia verò merita nostra nulla,

Hypotheses
Papistica, ex
quibus fluit
dogma dubi-
tationis.

Opera imperfecta, dispositiones insufficientes sunt, & multa peccata in occulto latere possunt, pro quibus non sit satisfactum, hinc aliud nihil, quam mera fluctuatio & conscientiae anxietas oriri potest. Quale enim est fundamentum, tale & superstructum. Sed fundamentum veniae & salutis in Papatu est dubium incertumque; nempe propria merita & satisfactiones. Ergo etiam ipsa venia salusque hominis erit dubia & incerta. Huc spectat illud Bernardi serm. 5. in vigil. nativ. *Sibi ipsi fidere, non fidei, sed perfidia est; nec confidentiae, sed diffidentiae magis in semetipso habere fiduciam.*

3. Urgent formidinem contrarij, nempe quod peccata possint esse non remissa. *Vbicunq;* verò aliquid ita creditur; ut contrarium semper metuendum sit, ibi est mera dubitatio & anxietas. Sed Papicolae volunt remissionem peccatorum sic esse credendam, ut tamen ob infirmitatem & indispositionem propriam semper metuendum sit, peccata fortè non esse remissa. Quare meram dubitationem & anxietatem inculcant. Major certa est, cum dubitatio, definiente Isidoro, nihil sit aliud, quam *metus indifferens in utramq;* partem contradictionis, vel quod sit *acceptio utriusq;* partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio. Jam talis indifferentia & indeterminatio fluit ex hypothesebus Papisticis. Si enim gratiam DEI sic sperare debeo, ut tamen timendum sit, ne sim extra gratiam, certè nulli parti assentiri queo. Qualis hic erit assensus, si ignorem, quid sit certò statuendum, & si debeam credere, contrarium quoque locum habere posse? Proinde sic concludimus: *Omnis* assensus indeterminatus est mera dubitatio. Sed assensus Papisticus de gratia Dei & venia peccatorum, est indeterminatus, quia neutrum certò credendum esse precipiunt, sed potiùs formidandum & statuendum, quod ob propriam indispositionem carere possimus gratiâ Dei & venia peccatorum. Ergo assensus Papisticus est mera dubitatio.

4. *Conjecturas*, ex quibus colligenda est Dei gratia, ipsi fallaces nominant. Ita enim scribit Bellarminus l. 3. c. 9. text. 6. *Hoc ipsum quod Spiritus sanctus sit, qui nos movet, cum dicimus, Abba Pater, nobis constat nobis ex fide divina, sed solum ex conjecturis, quae FALLACES esse possunt. Quicquid verò nititur conjecturis fallacibus, id nullam certitudinem, sed meram parit dubitationem, & animi anxietatem.*
Atque

Atqui opinio de gratia Dei & præsentia Spiritus sancti nititur
juxta Pontificios conjecturis fallacibus. Ergò nullam parit certitudinem,
sed meram dubitationem & animi anxietatem; nisi fortè Pontificij
novo artificio certum possint colligere ex incertis. Nam fallaces
conjecturæ sunt incertæ conjecturæ, ex quibus solis, cum de gratia
Dei sit æstimandum, qualis quæso oriri potest inde certitudo?
Plura possent ex hypothésibus Papisticis argumenta formari,
quibus dubitationem ab ipsis inculcari, facillè quis evincat:
sed sufficiant hæcenus enumerata, ne in re manifesta nimis
prolixè immoremur.

XIV. Habent verò Papicolæ, quod objiciant, nempe *se non omnem certitudinem, sed duntaxat aliquem illius gradum, hoc est, fidei certitudinem negare: lubenter autem se concedere conjecturalem, quam Bellarminus lib. 3. c. 11. spei Christianorum attribuit.* Sed suprâ membro 3. ostendimus, quòd certitudo conjecturalis sit ipsa incertitudo, adeoque *σιδηρόζυλον*. Cum enim fallacibus & incertis conjecturis superstruatur, quâ tandem ratione animum poterit certum & quietum reddere? Quoties igitur de spe & conjecturali certitudine rhetoricantur, toties ipsos glaucoma objicere, & *ἀντιφασιν* in adjecto committere cogitemus.

XV. Sed videamus ex abundanti, quomodo Bellarminus c. 11. certitudinem illam descripserit. *Duplex, inquit, in spe certitudo considerari potest. Altera ex parte voluntatis, altera ex parte intellectus. Ex parte voluntatis, certitudo spei est firma adhesio voluntatis ad rem speratam, & hæc maxima esse potest, etiamsi ex parte intellectus minime non sit homo certus, se rem illam consecuturum. Imo videtur spes non solum non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam. Nam quod certò scimus, nos habituros, non propriè speramus, sed simpliciter expectamus.*

Respond. 1. Confundit Jesuwita quæstiones distinctas. Aliud est, cum quæritur de venia peccatorum: & aliud, cum quæritur de salute æterna & ejus participatione. Ibi de præsentibus, hic de futuro bono controvertitur. Prior quæstio est hujus loci, non posterior, ideoque aliena sunt, quæ de spei certitudine affert. Nam peccator pœnitens remissionem criminum non sperare debet, ut futuram; sed credere, ut factam, Cum enim absolvimur à pecca-

peccatis, non bonum futurum promittitur, sed praesens confer-
tur. Vitam quidam aeternam sperant fideles, DEI vero gratiam
non sperant, sed credunt.

2. Si expectatio praesupponit certam scientiam, sequitur quod
fideles certo noverint suam glorificationem futuram. Hanc
enim non tantum dicunt sperare, Rom. 5. v. 2. 6. 8. v. 24. verum et-
iam expectare, 2. Pet. 3. v. 13. Novos caelos & novam terram se-
cundum promissa ipsius expectamus.

Distincti sunt
gradus spei.

3. Distincti sunt gradus spei. Quandoque enim languida est,
nonnunquam firma. Quod si sit languida, & homo incertus sit,
se rem speratam consecuturum, tum sane spes talis firmam certi-
tudinem, qualis requiritur a piis, non involvit. Imo perpetua est
in mente anxietas, quando spes metusque commiscetur, ita qui-
dem, ut ferè nulla sit major tortura hominis, quam inter spem
metumque versari, ut videmus in captivis, qui sperant clemen-
tiam, & una metuunt mortem. Jam vero non aliam Christianis
spem faciunt reliquam Papicolae. Nos enim rei sumus ob pec-
cata & damnationem meruimus. Volunt autem ut quodam-
modo speremus quidem veniam, ob DEI gratiam & Christi
meritum, sed ut interim unam metuamus iram & mortem, ob
propriam indispositionem. Ita ergo in perpetuis haerendum est
anxietatibus, dum inter spem metumque dubij haeremus, & cer-
to credere non debemus, nos gratiam & vitam consecuturos.
Quicquid igitur de spe firmissima & adhaesione voluntatis ma-
xima ad rem speratam blaterant, merus fucus est & praetextus ad
palliandam dubitationis deformitatem excogitatus. Qui enim
certus non est, se rem aliquam impetraturum, sed ita sperare de-
bet, ut simul metuat contrarium; is omni certitudine animum
quietante destituitur, & in perpetua sollicitudine ac anxietate
mentis haerere cogitur.

4. Negamus, quod spes excludat scientiam & intellectus cer-
titudinem. Reditum enim Christi ad iudicium, & resurrectio-
nem nostrorum corporum speramus: certissime tamen utrumque
scimus, & Catholicam fide credimus. Spes quidem languida & du-
bia excludit scientiam, sed non firma certaque, quae non confun-
dit, Rom. 5. v. 5. siquidem haec locum non invenit, nisi cum absque

dubitas

dubitatione, vel scimus vel credimus, nos rem speratam consecu-
turos. Quo pacto unà concidit discrimen illud inter *sperare* & *ex-*
pectare, quòd *incerta speremus*, & *exploratè vera expectemus*. Nam quid
aliud est firmiter sperare, quàm certò expectare bonum futurum?
Et si spes propriè dicta non est expectatio, cur omnes Scholastici
eam definiunt, quòd sit *certa expectatio boni futuri*? Imò cur Bellar-
minus scribit J. I. de Justific. c. 6. sub finem, *Poni spem in intellectu quo-*
ad certitudinem non essentialiter sed causaliter, quia videlicet idè spes certa
est, quia presupponit certitudinem fidei de omnipotentia & fidelitate Dei?
Annón Bellarminus hìc expressè faterur, quòd spes certa prae-
supponat fidei certitudinem, nempè quâ quis certò credit, se ob
Dei omnipotentiam & fidelitatem certò consecuturum esse bo-
num ab ipso promissum?

Nullum est
discrimen in-
ter sperare &
expectare.

5. Pontificij ne quidem spei certitudinem circa salutis nego-
tium relinquunt Christianis. Nam hoc quidem concedunt, ut
aliquis speret *possibilitatem salutis*, non verò concedunt ut speret
ipsam salutem, hoc est, sperare licet, nos posse salvos fieri, sed non
licet sperare, nos certò salvos fore. Ita censet Gregorius de Valent.
tom. 3. disp. 2. quæst. 1. punct. 4. ubi certæ spei objectum constituit,
non ipsam beatitudinem, sed tantùm *possibilitatem consequenda bea-*
titudinis. Nam illud, inquit, quo quispiam cogitare potest, se reipsa conse-
cuturum beatitudinem, nequaquam est indicium fidei, sed omninò incertum.

Pontificij tol-
lunt omnem
certitudinem
spei circa salu-
tis negotium.

XVI. Pergamus verò ad alteram spei certitudinem, quam Bel-
larminus ex parte intellectus esse statuit, eamque duplicem, Prima,
inquit, *oritur ex fundamento spei primario, quod est promissio Dei*. Certi
enim sumus, DEVM non posse fallere. Et si quidem nihil requireretur ad
justificationem vel salutem, haberemus etiam de his rebus absolutam & in-
fallibilem certitudinem: tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non
sumus tam certi, idè spes non expedit omnem timorem. Hic latet auguis
in herba, & prodit adversarius errorem suum crassissimum. Fa-
tetur enim, quòd si solis promissionibus Dei nitendum sit, infal-
libilis certitudo sequatur. At verò hoc est, quod non urgemus.
Non enim in nostris meritis vel operibus spes ulla ponenda est,
non requiruntur ea, ut salutis causæ: Sed fides justificans tantùm
fundatur in gratuitis Dei promissis de venia peccatorū ob Chri-
sti meritum, quæ cum firmâ fide apprehendimus, cum Apostolo

C

Paulo



Paulo certissimi reddimur, quod nihil nos separare possit à charitate Dei, qua est in Christo Iesu Domino nostro, Rom. 8. v. ult. Recipimus ergò & semper urgemus hanc fidei potiùs, quàm spei certitudinem, infallibili fulcro superstructam, & de peccatorum venia nos certissimos reddentem. Huc spectat insignis locus Lutheri, in c. 4. ad Galat. ubi differit: Evangelium jubet intueri nos, non benefacta & perfectionem nostram, sed ipsum DEVM promittentem, ipsum Christum Mediatorem. Econtra Papa jubet respicere non DEVM promittentem, non Christum Pontificem, sed nostra opera aut merita, ibi necessario sequitur dubitatio & desperatio, illic verò certitudo & gaudium Spiritus, Quia in Deo habeo, qui mentiri non potest, dicit enim: Ecce trado Filium meum in mortem, ut de sanguine suo redimat à peccatis & morte, ibi non possum dubitare, nisi prorsus velim DEVM negare.

Altera, inquit Jesuwita, certitudo spei ex parte intellectus, oritur ex charitate, ac per hoc non convenit nisi hominibus justis. Amicus enim ab amico omnia bona sperare potest, neq; periculum est, ne confundatur. Et siquidem amicitia ista cum DEO corrumpi non possit, infallibiliter & absolutè de salute securi essent, qui caritate cum DEO conjuncti sunt: tamen quia dum peregrinamur à Domino, fieri potest, ut qui amicus est, iterum fiat inimicus, idcirco non possunt etiam justi sine timore aliquo vivere. Sed 1. confunditur quæstio de perseverantia, cum quæstione de venia, quæ hujus loci est propria, 2. Non omnem à justis timorem remorum volumus, sed tantùm servilem, qui parit dubitationem & anxietatem animi. Aliàs lubenter concedimus, quod amicitia cum DEO corrumpi, & ejus amicus, possit fieri inimicus per peccata mortalia, & hinc deducimus, quòd salutem nostram cum timore operari debeamus, Philip. 2. v. 12. semper curantes, ne gratiam DEI excutiamus & à justitiæ semita nos avertamus. 3. Si hæc certitudo vera est, tum sequitur, quòd aliquis scire possit, se DEI amicum esse. Fundatur enim in charitate; & hanc præsupponit. Requiritur ergò, ut aliquis noverit, se DEO esse charum, antequam certò sperare possit, se à DEO, tanquam ab amico, omni bona accepturum. Jam si quis scire potest, & certò, statuere debet, se DEI esse amicum; utique scire etiam potest, sibi remissa esse peccata. Neminem enim DEUS diligit, cui peccata adhuc imputat. &
non

non condonat. Si Jesuwita dixerit, aliquem certò scire non posse, num sit DEO charus, statim perit hæc altera spei certitudo quam charitati superstruit. Nos autem illud prius affirmamus, & inde inferimus, hominem, ut de amicitia cum DEO, sic & de peccatorum venia posse esse certissimum.

Atque sic ostensum est hætenus, Pontificios dubitationem docere nec absurdum istud, Bellarmini *negò Quæstio de spei certitudine*, quippe quæ vel incerta est, vel si lei certitudinem præsupponit, excusari, aut declinari posse.

XVII. V. Origo & fontes hujus dogmatis.

Scriptit Chemnitius, doctrinam, quæ jubet credentes dubitare de remissione peccatorum, ortam esse ex schola Phariseorum & Novatianorum. Hæc verò inquit Bellarminus l. 3. c. 11. rat. 5. non argumenta, sed impostura & mendacia sunt.

Origo & fontes Papistici dogmatis de dubitatione.

Nam 1. Evangelium apertissimè testatur, Phariseos non murmurasse, quòd Christus juberet in particulari fiduciam concipi de remissione peccatorum, sed quòd se DEVM facere videretur, dum potestatem peccata relaxandi, soli DEO propriam, sibi sumebat. Resp. Non sunt hæc contraria, sed subordinata, ideoque non pugnant invicem. Nam Phariseorum Pharisei statuerunt utrumque, tum nullum hominem in particulari peccata debere remittere; tum Christum, quia id tentet, blasphemum esse. Denegârunt ergò omni homini, potestatem peccata condonandi in particulari, tum ministerialem, tum *αὐτοπατορικήν* vel authenticam, tum culpam. Et quia justitiam quæ fierunt in lege, quam nemo perfectè potest implere, utiq; dubitatio ex illorù hypothesebus sine dubio profluxit. Si quidam de perfectione gloriari sunt, fuit hæc hypocritica præsumptio, non vera & fidelis assertio.

2. Adde, quòd Dominus non jussit, homines credere fide Catholicâ, sibi peccata esse dimissa, sed tantùm confidere. Quod ipsum Catholici omnes docent, quippe qui sciunt, fidem & fiduciam non esse idem, & posse hominem confidere sibi remissa esse peccata, etsi ex parte intellectus non habet ejus rei certitudinem absolutam. Resp. Mira somniat Jesuwita, quando inter fidem & fiduciam distinguit, cum tamen fides justificans, & beneficia Christi apprehendens nihil sit aliud, quàm fiducia, & contrâ, quod clarissimè alibi probatû est. Deinde cum Christus ait, *Confide, remittantur tibi peccata*, nō tantùm aliquâ spem, sed ipsam fidem



certissimam in animo paralytici gignit. Verba enim erant clara & absolutio manifesta: *Remittuntur tibi peccata*, unde fidem Catholicam gigni, ipsi alias concedunt Papistis. Tandem que Catholicos docere ait, *posse hominem confidere, sibi remissa esse peccata*, merus focus est. Istud enim quod docent, *confidere*, nihil est aliud, quam dubitare, ut supra clarissimè ostendimus.

Qua fuerit
Novatiano-
rum opinio.

3. De Novatianis scribit, eos tantum admonuisse lapsos post Baptismum, ut cum Deo agerent, in Ecclesia enim non esse potestatem reconciliandi. Resp. Si maximè nihil aliud docuissent, tamen hoc sufficeret, ad probandam thesin nostram, quod dubitatio è schola Novatianorum ortum traxerit. Nam qui docent, in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata, hi sanè dubitationem invehunt, & conscientias pressas de venia fluctuare faciunt. Rectè igitur se iis opposuit Ambrosius l. i. de pœnit. c. 2. ita scribens: *Novatiani dicunt, se soli Deo remittendorum criminum potestatem reservare, sed Christus mandavit discipulis suis solvere peccata.*

Hypotheses
Papisticæ, ex
quibus fluit
dogma dubi-
tationis.

XIIX. Eviçto igitur, quod error ille Papisticus ex hæreticorum scholis prognatus sit, notari possunt insuper fontes & hypotheser Papisticæ, ex quibus fluit dubitationis dogma. Tales sunt 1. quod fidem habent tantum pro assensu, non pro fiducia. 2. quod Sacramentorum virtutem ab intentione ministri suspendunt, quæ dubia. 3. quod remitti peccata non censent, nisi enumerata sint confessionariò singula, quod incertum. 4. quod spem ponunt in meritis & operibus propriis, quæ imperfecta. 5. quod dubitationes, quæ sanctis nonnunquam ex infirmitate carnis obveniunt, unicè considerant. 6. quod inter fidem & fiduciam distinguunt. Et hoc ipse Cassander annotat in Consult. p. 15. Ob hanc, inquit, dubitationem, quæ ex consideratione propriæ infirmitatis nata, semper hæret etiam in sanctissimis viris: Item, quia persuasio hæc falsa & inanis esse potest, in impijs, videlicet Spiritu DEI destitutis, idè nonnulli senserunt, hanc certitudinem non fide propriè, in qua dubitatio hæreticum facit, sed fiduciæ potiùs, quæ ex sensu quodam divinæ benevolentie nascitur, esse tribuendam, cui opposita aliquanta hesitatio, infirmitatem fidei arguit, cum qua hesitatione fidelibus animis est luctandum. Et addit: Veteres sanè in hoc loco inter spem & fidem non admodum distinxerunt, ut patet ex Hilario.

19. Por-

XIX. Porro exponenda restat causa, cur dubitationem aded pro- Cur dubita-
 pugnent & urgeant Pontificij. Exprimunt illam Chemnitius in Exam. tionem tan-
 Concilij Tridentini p. r. mihi p. 165. cujus verba, cum sint notabi toperè propu-
 lia, recensebimus. Nec sanè, inquit, nulla sunt causa, quare tam acri- gnent Pont-
 ter Pontificij de retinenda dubitatione digladiantur. Intelligunt enim totam ficij?
 negotiationem Pontificia nundinationis hoc fundamento niti. Conscientia
 enim querens certam aliquam & firmam consolationem, quando audit,
 ipsam fidem, etiam quando in promissione Christum Mediatorem apprehen-
 dit, debere dubitare de remissione peccatorum, cogitat, se velle cumulare tam
 multa & tam varia opera, ut juxta Poetam, Si non prosint singula, plura ju-
 vent. Hinc ultra opera divinitus mandata electij cultus sine fine & modo
 excogitati fuerunt. Hinc vota, peregrinationes, & invocationes sanctorum,
 fraternitates, opera indebita, opera supererogationis, nundinatio Missarum,
 negotiatio indulgentiarum, & breviter, tota illa lerna superstitionum Ponti-
 ficiarum. Cumq; in agone conscientia in illis omnibus non inveniret certam
 & firmam consolationem, excogitatum tandem est purgatorium, & propo-
 sita redemptiones suffragiorum post mortem. His regni sui vectigalibus timent
 publicani Pontificij. Vident enim fore, ut minuantur & intercidant, si ho-
 mines ex verbo Dei doceantur, fidem esse fiduciam, quæ in promissione Evan-
 gelij inveniat, accipiat & possideat certam & firmam consolationem de re-
 conciliatione cum Deo. Hinc illæ lacrymæ, hinc tentationes pro stabilienda
 dubitatione. Hæc ipsis Chemnitij verbis proponere volui, cum
 rotunda brevitate omnes contineant causas, quibus Papicolæ ad
 asserendam dubitationem privatim moventur: quibus ita decla-
 ratis, ad status confirmationem accedimus.

XX. VI. Nostræ sententiæ expositio. Scimus ex
 Scripturis, quod doctrina cœlestis ideò patefacta sit generi hu-
 mano, ut credentes & pœnitentes firmam consolationem habe-
 ant, in qua contra omnes tentationes tuto acquiescere possint.
 Ita igitur informandi sunt auditores, ne obstruantur consolatio-
 num fontes, & pavidæ conscientia in desperationis barathrum
 præcipitentur. Sunt autem distinctæ quæstiones, quæ scrupulum
 movere possunt pœnitenti. Vel enim sollicitus est de sua pœni-
 tentia & salute futura: vel de peccatorum remissione in presenti.

Prior quæstio non est propria hujus loci, quippe ubi de justi-

Nostræ sen-
 tentia expositio.

De certitudi-
ne perseve-
rantis.

ficationis, non glorificationis certitudine primò disputatur. Dicimus autem quòd perseverantiz certitudo non sit absoluta, sed tantùm hypothetica, quatenus media perseverantiz non sperantur, sed semper usurpantur. Fides enim non datur hoc modo, ac si nunquam possit iterum amitti, sed excutitur Spiritus sanctus per peccata mortalia, ideoque semper vigilandum est, ne caro vincat Spiritum, & redeamus ad vomitum, qui est timor ille & tremor, cum quo salutem nostram operari debemus, juxta illud Apostoli *Phil. 2. v. 12.* Interim tamen, si promissiones confidero, Deum velle opus, quod incepit, perficere, & Christum pro nobis etiamnum intercedere; firma inde fides oriri potest de perseverantia, cum sciam, nihil me posse è statu gratiz dimovere, nisi mihi ipsi malitiosè velim deesse.

De certitudi-
ne remissionis
peccatorum.

Quod autem concernit *questionem alteram de remissione peccatorum*, dicimus quemvis fidelem, & verè poenitentem, de illa posse esse certissimum. Notandum verò est, quòd 1. Non stabilitam hoc ipso velimus *temerariam presumptionem*, quia non quemvis, sed duntaxat fidelem & verè poenitentem posse certum esse statuimus. Si quæras, *unde quis sciat, se verè credere & poenitere?* dicimus, quemvis seipsum probare posse, & dari certissima *gentis fidei & præsentis, & absentis.* 2. Quòd fundamentum certitudinis non ponamus in perfectione nostrorum operum, sed unicè in absolutissimo Christi *λύτρω* & gratuitis DEI promissionibus, quas si quis verà fide apprehendat, non potest non de gratia Dei certus fieri, cum sciat, Deum neminem fallere, quia verax est; & poenitentibus peccata velle dimittere, quia bonus est; & posse, quia omnipotens est, & quia Christus pro nobis perfectissimè satisfecit. 3. Quòd illa certitudo non sit conjecturalis, & cum dubitatione implicita; sed firmissima, & talis omninò, cui non subsit, nec subesse possit falsum. Cum enim fidelis in promissiones Dei fertur, tùm non potest non peccatorum suorum veniam impetrare, vi promissionum divinarum, nunquam fallentium.

Hæc igitur paucis nostra est opinio, quòd *quivis verè poenitens & fidelis* (de quo cuius, si seipsum examinet, constare potest, *ob Christi meritum imputatum, & vi promissionum divinarum, certò & sine omni dubitatione queat, imò debeat credere, sibi per fidem, esse DEI gratia.*

gratia, ob Christi satisfactionem, cuncta peccata verè esse remissa, ut nihil amplius in ipso damnationis sit reliquum.

XXI. Affingit præterea Bellarminus hanc nobis sententiam *An illà fide,*
1. 3. de Justific. c. 3. quòd statuimus, solà illà fide, quà credimus peccata *quà credimus*
esse remissa, homines justificari. Sed confundit distincta fidei objecta. *remissionem*
Credimus quidem, peccata nobis esse remissa, sed hæc fides for- *esse factam*
maliter non justificat verum justificationem sequitur. Nam im- *justificemur*
mediatum justificantis fidei objectum non est aliud, quàm Christi
meritum. Hoc cum fide apprehenditur, statim imputatur, & sic
peccata remittuntur, atque tum illa remissa esse credimus. Bre-
viter hoc ita declaramus: Remissio peccatorum dupliciter con-
sideratur 1. *Vt fit.* 2. *ut facta est.* Respectu primo simul est cum fide
justificante, quia sunt relata: Respectu secundo, sequitur fidem
justificantem, sed ordine præcedit fidem eam, quà credimus, re-
missionem jam factam esse. Ita igitur fides justificans fertur pri-
mò non in factam, sed futuram & promissam remissionem, adeoq; ju-
stificamur vel remissionem consequimur, non quia credimus nos
jam coniecturos, sed quia credimus, Christum pro nobis satisfac-
sisse, & ita peccata remitti vel non imputari.

XXII. VII. Remotio falsorum statuum

Ex hæcenus dictis facile apparet, quid in questionem non veniat. *Remotio fal-*
Nam 1. non quæritur de fide hereticorum, qui erroneas falsasq; opi- *sorum sta-*
niones propugnant. Hæreses enim sunt opera carnis, Gal. 5. v. 20. *tuum.*
quæ excludunt è regno cælorum, v. 21. In illos igitur vera fides aut
fiducia non cadit, ideoque certi esse nequeunt de Dei gratia & sua
salute, sed potiùs Dei iram & æternam condemnationem sibi pa-
ratam esse statuunt.

2. Non quæritur de falso jactata fide Epicureorum & impœniten-
tium, quales fuerunt multi in vera Ecclesia, qui pessimè viventes,
gratiam Dei nihilominus sibi pollicentur. Sed spectrum hoc fides
non fides vera, quippe quæ per charitatem semper efficax, Gal. 5. v. 6.
& sine operibus mortua est, Jac. 2. v. 26.

Sic 3. Non quæritur de de fide historica, & assensu generali, qui ca-
dere potest in hypocritas, imò & dæmones, sed de fide speciali, quæ
promissionem gratiæ, & in ea Christum Mediatorem amplectitur
ejusque

eiusque beneficia sibi applicat. Ubi notandum, inter fidem *generalem & specialem* hoc inter cætera discrimen occurrere, quod fidei generalis objectum semper se habeat uniformiter, & nunquam ratione personæ varietur; siquidem quod semel ut verum apprehenditur, & tanquam articulus fidei in Scripturis proponitur, & à nobis creditur, illud perpetuò verum manet, & nunquam eius contrarium obtinere potest. Secus autem se res habet, quoad objectum fidei specialis, quod est remissio peccatorum. Hæc enim iterum excuti & amitti, ideoque respectu personæ credentis variari potest, ut licet fidei, quamdiu credimus, falsum subesse non possit, tempus tamen venire queat, quo & fidem perdamus, & de fidei specialis objecto, seu de peccatorum remissione non amplius gloriari valeamus. Atque hinc fit, ut certitudo fidei non gignat securitatem carnis, non expellat omnem timorem, sed unà includat vigilantiam & circumspectionem, quam tamen tolli falsò nobis affingunt Pontificij.

4. Non quæritur de *certitudine electionis & perseverantiæ*. Hæc enim controversia decade secunda est pertractata. Et licet quæstiones istæ sint conjunctæ, non tamen penitus sunt confundendæ, ne oriatur inde confusio, & turbetur vera utriusque intelligentia.

5. Non quæritur de *fide magna, & omnis dubitationis experte confidentia*. Nam fatemur ipsi, renatorum fidem sæpiùs languescere, variisque dubitationibus concuti, ut non semper sit robusta & excellens, præsertim tentationis tempore, verùm non urgeamus dubitationem illam, nec inculcamus renatis, tanquam necessariam, ut faciunt Pontificij; sed potiùs improbamus, tanquam vitiosam & ex imbecillitate carnis orram, quæ fide, precatione, aliisque mediis ut superetur, diligenter annitendum est, ut dicamus cum patre lunatici ex Marci 9. v. 24. *Credo Domine, sed ser opem imbecillitati mee.*

6. Nec tantem quæritur, *An certitudinis & fiduciæ illius fundamentum sit in nostris virtutibus meritisve situm?* Nam præsupponimus, opera nostra esse imperfecta, & multas impuritates habere admixtas, ut severum Dei examen ferre nequeant. Si quis ergò in his suam locet fiduciam, lubenter faremur, quòd inde nulla fluat, vel

vel fluere possit certitudo, sed potius mera fluctuatio & anxietas animi.

XXIII. IIX. Verus controversiæ status. Ita igitur remotis iis, quæ in quæstionem non veniunt, non obscurum esse poterit unum *ἑστὸν*. Nempè controversia est de homine poenitente, Annon ille promissiones gratiæ de peccatorum remissione, ob imputatum Christi meritum, sibi tam firmiter applicare, verâq; fide sic apprehendere possit & debeat, ut non tantum conjecturaliter speret, sed potius certitudine fidei credat, sibi peccata omnia esse remissa, & se iterum cum DEO rediisse in gratiam? Vel brevius, hoc in quæstione est, Annon vera poenitentia & fidei iustitia firmam immotamq; divinæ gratiæ fiduciam in cordibus fidelium parere possit ac debeat? Negant Pontificij, nos affirmamus, & hoc ipsum argumentis benè multis demonstrare possumus.

Verus controversiæ status.

QUÆSTIO II.

Quibus præcipuè argumentis dubitatio impugnari, & certitudo probari possit?

XXIV. Scripsit ex nostris D. Sigfridus Saccus peculiarem de hac quæstione tractatum. Magdeburgi anno 69. editum, in quo prolixè recensentur argumenta huc facientia. In compendium verò rededit illa D. Chemnitius par. 1. Examiniis m. p. 168. seqq. unde præcipua repetemus, & certis sive titulis, sive classibus includemus, non ad eò solliciti de elusionibus Bellarmini l. 3. c. 9. quippe qui dicta ferè *ἀπὸ τοῦ διόνοισι* tantum collegit, ut respondere faciliùs, & lectori fucum facere posset, quasi nostra sententia firmioribus fulcris non inniteretur. Istis ergò ineptiis missis, rationes maximè solidas in medium afferemus.

XXV. I- A fidei justificantis natura. Si fides est firma & immota animi fiducia, promissiones sine dubitatione apprehendens, tum omnis fidelis certitudine fidei certus esse poterit de gratia DEI & peccatorum venia. Ratio consequentiæ est
D. firma

Argumentum primum, A fidei justificantis natura.

firma, quoniam se invicem excludunt fiducia & hæsitatio vel incertitudo. At verò justificans fides est firma & immota animi fiducia, promissiones sine dubitatione apprehendens, Quare omnis fidei certitudine fidei certus esse poterit de gratia Dei & peccatorum venia. Minorem alibi clarissimè probavimus ab etymologia fidei. 2. A Synonymia. 3. A testimonio interpretum, 4. A declaratione exegetica. 5. A dictis Scripturæ manifestis. 6. Ex locis parallelis. 7. A proprio fidei objecto. 8. A forma fidei justificantis. 9. Ab effectibus fidei. 10. A typicis & metaphoricis descriptionibus. 11. Ab exemplis. 12. A preceationibus. 13. Ab oppositis. 14. Ab autoritate Patrum. 15. A confessione adversariorum, quæ omnia sanè tanta sunt, ut animum reddant firmissimum, & omnem dubitationem expellant,

2. A manifestis Scripturæ dictis.

De dicto Rom. 5. v. 1.

Exceptio Pæpistia, fidem in genere tantum apprehendere promissiones.

XXVI. II. A DICTIS SCRIPTURÆ, CERTITUDINEM MANIFESTE INNUEMIBUS.

I. Rom. 5. v. 1. *Iustificati ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum.* v. 2. *Per quem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloria filiorum Dei.* Quicumque verò habent pacem & tranquillitatem mentis, quibus conceditur talis accessus in gratiam, ut in illa stent & gloriantur ob spem gloriæ, illi sunt certissimi de peccatorum remissione. Sed omnes iusti vel iustificati habent pacem & tranquillitatem mentis &c. Quare omnes iusti certissimi sunt de peccatorum remissione. Major extra dubium est, ob perpetuam oppositionem pacis & anxietatis, certi accessus & dubitationis *καυχίσεως*, & incertitudinis. Minor est in textu Apostoli. Sua igitur conclusioni non dene-ganda erit veritas. Si exceperint, fidem in genere quidem statuere posse, promissiones gratiæ esse certissimas, applicationem verò incertam esse, cum nemo sciat, an sit iustus ob indignitatem & indispositionem propriam, Respondemus 1. quòd hoc pacto fidei justificantis natura prorsus evertatur, Non enim est universalis quæ-dam idea, sed particularis fiducia, quâ non tantum in genere credimus, sed quivis pœnitens sibi in specie promissiones applicat. Credunt enim aliàs & diaboli promissionum veritatem in genere, sed sibi accommodare nequeunt in specie. Dum ergò Pontificij specialem applicationem negant, nullum discrimen relin-quunt

quunt inter fidem dæmonum & fidem justificatorum. 2. Non dubia, sed certa est sub generali themate subsumtio. Si enim omnes iusti pacem habent cum Deo, utique de me etiam subsumere possum in specie, quod per fidem, quâ Christi meritum apprehendo, pacem habeam apud Deum. Quod enim verè dicitur de universali vel de universo genere, hoc ipsum de quovis etiam particulari & individuo rectissimè affirmatur. 3. Falsum est, quod nemo scire possit, an fidem habeat & justificatus sit. Si enim ratione fidei justificantis quis intelligat, & quid ad ipsam requiratur, vel in quo consistat noverit; tum sanè probare potest seipsum & cognoscere, an fides justificans, & vera pœnitentia desit vel adsit. Tum quidem hæc incerta forent, si requirerentur propriæ dispositiones, satisfactiones & similia: quas opellas cum nos è fidei & justificationis circulo exclusas sciamus, nullam amplius dubitandi causam habent fideles,

II. Ephes. 3. vers. 12. *In Christo habemus τὴν παρρησίαν καὶ τὴν* De dicto Eph.
προσγωγήν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς χάριτος αὐτῆς fiduciam & accessum in 3. v. 12.
confidentia per fidem eius. Ubi verò est παρρησία καὶ πεποιθήσις, ibi
exulat omnis timor servilis, omnis incertitudo & anxietas. Excipi-
pit Bellarminus l. 3. de Justific. c. 9. per παρρησίαν intelligi quidem
audaciam, ortam ex quadam summa & infallibili certitudine,
sed eam certitudinem non esse de justitia nostra, sed de veritate
mysteriorum fidei. Resp. Principium petitur, & glossa sine ra-
tionem fingitur. Nam accedere ad Deum, & habere πεποιθήσις,
non notat assensum generalem, quo credimus mysteria, sed po-
tiùs fiduciam specialem, quâ credimus Dei gratiam & peccato-
rum veniam. Sunt enim illi non intellectus, sed voluntatis actus.
Et hinc deducit Apostolus v. 13. non esse deficientium in tribula-
tionibus, nempe quoniam certi sumus per illam πεποιθήσις de
Dei misericordia & auxilio. Sic igitur colligimus: Omnis acces-
sus ἐν πεποιθήσει est cum summa certitudine fidei conjunctus. Sed
accessus fidelium ad Christum, thronumque gratiæ, cum nempe
perunt remissionem peccatorum, fit ἐν πεποιθήσει. Ergo cum sum-
ma certitudine fidei conjunctus est.



De dicto Iaco-
bi 1. v. 6.

III. Jacobi 1. v. 6. *Postulet quis in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur. Ubique autem excluditur hæsitatio, ibi ponitur certitudo. Sed à quovis fideli Jacobus exclusam vult hæsitationem. Ergò in quovis fideli adesse vult certitudinem. Major patet, quia omnis incertitudo unà trahit secum fluctuationem & animi hæsitationem. Dum enim incertus sum, semper hæsito, quid statendum sit.*

De dicto 1.
Ioh. 3. v. 14.

IV. 1. Joh. 3 v. 14. *ἡμεῖς οἴδαμεν, Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres, c. 4. v. 13. ἐν τῷ γινώσκοντι. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis. His dictis non tantum aliqua conjecturalis certitudo innuitur, sed talis potius, quæ cum certa scientia & indubitata cognitione copulata sit, unde argumentum fuit ejusmodi: Quod aliquis benè scit & cognoscit, de illo utique certissimus est. Sed fideles sciunt & agnoscunt suam justificationem & adoptionem in filios. Ergò fideles de hoc ipso sunt certissimi. Excipit Bellarminus c. 9. Per vocabula scimus & cognoscimus, non intelligi certitudinem fidei divinæ, sed eam, quæ ex signis & conjecturis oritur. Verum hoc non est respondere, sed principium petere. Et si tales glossæ militare debeant, omnis scientia vocari potest in dubium, & quicquid dicitur de certitudine notitiæ, id posset de conjecturis signisque exponi. Apostolus sanè ex dilectione argumentatur ad cognitionem. Illud verò non est conjecturale, sed firmissimum argumentum. Quicumque enim fratrem diligit, is verè fidelis & renatus est. Jam quis pœnitens subsumit: Ego diligo fratres, id quod in sui ipsius examine certissimè cognoscit. Ergò concludit, atque ita scit, se verè fidelem & renatum esse. Addit Apostolus rationem firmissimam, Quoniam de spiritu suo dedit nobis, quo ipso respicit internum spiritus testimonium, dum testatur, nos esse DEI filios, quod sanè testimonium conjecturale non est, sed certissimum & infallibile. Similis locus extat 1. Joh. 5. v. 19. Scimus, quoniam ex DEO sumus. v. 20. Scimus, quoniam Filius DEI venit & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus, hic est verus Deus & vita æterna, ubi sanè credentibus in Christum non tribuitur opinio, dubitatio, conjectu-
ralis.*

ralis certitudo, sed plena potius scientia, & immota cognitio. Huc etiam referri potest istud Iobi 19. v. 25. Scio, quod Redemptor meus vivit.

XXXVII. III. A Spiritus sancti in cordibus pi-
rum testificatione. *Quicquid Spiritus sanctus obsignat, &*
in cordibus fidelium suo testimonio confirmat, id sine omni du-
bitatione certissimum est, & à piis certissimè credi debet. *Sed re-*
missionem peccatorum Spiritus sanctus obsignat, & in cordibus
fidelium suo testimonio confirmat. Ergò remissio peccatorum
certissima est, & à piis certissimè credi debet. Major per se est sa-
tis manifesta, cum Spiritus sanctus, qui ipsa veritas, testimonium
sit infallibile & omni exceptione majus, Minor dictis probari
potest quamplurimis, qualia leguntur, Rom 8. v. 15. *Non ac-*
cepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptio-
nis Filiorum DEI, in quo clamamus, Abba Pater. Et vers. 16. Ipse Spiritus
testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filij DEI. Si autem filij,
utiq; & heredes. 1. Cor. 2. v. 12. Nos accepimus Spiritum, qui ex DEO est, ut
sciamus, quæ à DEO donata sint nobis, 2. Cor. 1. v. 21. 22. 23. Qui confirmat
nos vobiscum in Christum, & qui unxit nos, DEVS: Qui & signavit nos, &
dedit τὸν ἀρραβῶνα & πνεῦματ & pignus Spiritus in cordibus nostris.
Eph. 1. v. 13. 14. Credentes ἐν φεγγιδντε signati estis Spiritu promissionis
sancto, qui est pignus hereditatis nostræ. Sic c. 4. v. 30. Nolite contristari Spi-
ritum sanctum, in quo signati estis in diem Redemptionis. 1. Joh. 5. v. 10. Qui
credit in Filium DEI, habet testimonium DEI in se. v. 11. Et hec est testi-
monium, quoniam vitam æternam dedit nobis DEVS. Copulatur hic utrum-
que tum testimonium infallibile, tum testimonij objectum, quod
est datio vitæ æternæ, quæ non creditur in genere, sed à quovis
sibi applicatur in specie, cum verba sint clarissima: Hoc est testi-
monium, quoniam vitam æternam dedit nobis DEVS. Hoc ipsum in-
sequentibus magis declarat Apostolus, dum 13. vers. 13. inquit,
Hoc scripsi vobis, ut sciat, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in
nomine Filij Dei. Et hinc ait, talem fluere fiduciam, quæ certi si-
mus de exauditione precum, v. 14. 15.

XXXVIII. Argumentum hoc integrum non proposuit, nec
refutavit Bellarminus, sed ad unam duntaxat & alterum locum
respondere voluit, l. 3. c. 2. De dicto Rom. 8. quod Spiritus sanctus

testimonium reddat Spiritui nostro, sic excipit, quòd *due hujus loci sint lectiones & expositiones. Vna, inquit, lectio est latini codicis, quæ habet, Spiritum sanctum testimonium reddere Spiritui nostro; sed hoc testimonium non esse per verbum aliquod expressum, id est, per revelationem, sed per experimentum cujusdam suavitatis & pacis internæ, quæ non gignat certitudinem, nisi conjecturalem.*

Resp. Impium est Spiritum sanctum testimonium habere pro mera conjectura. Ipse enim nec fallit, nec fallitur. Cur ejus ergò testimonium non nisi conjecturale dicitur? Quòd revelationem specialem spectat, illa nec Spiritus, nec nostri respectu necessaria est. Non *ratione Spiritus sancti*, quoniam illi cuncta per se sunt notissima, nec egit aliquo testimonio, per quod addiscat primum, hominem, in quo habitat, verè credat vel secus? Non *ratione nostri*, quia ipsum Spiritus testimonium internum est divinum, & æquipollet revelationi. Num autem putant Jesu vitæ, non esse credendum Deo intus testanti, nisi unâ foris & extrinsecus illud ipsum confirmet? Sic ergò contra ipsum concludimus: *Quicquid Spiritus sanctus profert, hoc est Dei verbum, quia Spiritus sanctus est Deus. Sed testimonium internum, quod sumus filii Dei, profertur à S. S. E. testimonium internum est ipsius Dei verbû, & per consequens non opus habemus speciali revelatione.*

Ulterius, quòd *secundam* exceptionem attinet, scribit Bellarminus, *alteram lectionem esse codicis Græci, qui habeat, Spiritum sanctû simul testari cum Spiritu nostro: αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τὸ πνεῦμα τῆς ἡμετέρας.* Et hoc testimonium nihil esse aliud, nisi ipsam orationem, quæ dicimus: *Abba Pater.*

Resp. 1. Non video, quî discrepent istæ lectiones. Nam qui testatur cum aliquo, is una testimonium huic reddit, quòd verum testetur. Perinde igitur est, siue Spiritus S. dicatur testari cum Spiritu nostro, siue testimonium reddere Spiritui nostro, siquidem utraq; phrasi consensus testium, & certitudo testimonij denotatur. 2. Principium petit Bellarminus, asserendo, quòd internum Spiritus testimonium nihil sit aliud, nisi ipsa oratio. Nam est potentius gratiæ confirmatio, & veniæ obsignatio, per ipsum inhabitantem S. S. facta, cujus consequens est fiducialem orationem. Utrumque enim opus est Spiritus S. tum obsignare, tum pro nobis intercedere, & nos ad precandum excitare, quæ cum distincta sint, sine ratione

tione

tionem confundi non debent. 3. Si maximè per illud testimonium intelligatur oratio fidelis, causæ tamen Pâpisticæ magis nocebit hoc, quàm proderit. Nam talis precatio præsupponit gratiosam inhabitationem Spiritus sancti, & certam oblationem de remissione peccatorum. *Nemo enim potest vocare Dominum, nisi in Spiritu sancto, 1. Cor. 2. v. 3.* Et talis postulat in fide nihil hæsitans, *Iac. 1. v. 6.* ideoq; precatio pii tum inhabitantis, tum oblationis Spiritus certum est indicium. Ex quo porrò consequitur, quòd duplex sit testimonium Spiritus sancti de certitudine gratiæ. *Alterum est internum, quod ipsa oblatio & certificatio interior, unde oritur pax & gaudium conscientiæ: Alterum verò est externum, quod prioris fructus & consequens est, nempe ardens nihilq; hæsitans oratio, unà cum aliis virtutum exercitiis.* Ita ergò testimonium hoc externum non tollit, sed potius præsupponit internum.

XXXIX. Verùm hæc nondum satisfaciunt Bellarmino, quia porrò excipit: *Hoc ipsum, quòd videlicet Spiritus sanctus sit, qui nos movet, cum dicimus, Abba Pater, non constat nobis ex fide divina, An scire possimus, Spiritum peccatores inter Catholicos, sed etiam hæretici dicunt DEO, Pater noster, sanctum nos regere, cum quies in caelis, & tamen non sunt ipsi verè filij DEI.*

Resp. Hoc est plenis velis invehere dubitationem, quòd tamen videri non vult Bellarminus. Nam quicquid non nisi conjecturis fallacibus innititur, de illo dubitandum est. Sed gratia inhabitantis Spiritus non nisi conjecturis fallacibus innuitur, juxta Bellarminum. Ergo de gratia inhabitantis Spiritus dubitandum est. 2. Assertio ista & principium petit, & Scripturis contradicit, & nos omnes miserrimè efficit. *Principium petit, quia sine firmâ ratione profertur. Illud enim, quod de Hæreticis & Catholicis orantibus dicitur, nullius est momenti, quoniam non loquimur de præsumptione & gloriatione falsa, non de precibus hypocriticis, sed de veris seriisq; , quales tantùm cadunt in pœnitentes & fideles. Nec minus omnis fidei Catholicæ certitudo in dubium vocari posset, cum & de illa gloriati sint hæretici. Scripturis contradicit, quippe quæ disertè affirmant, quòd pii sentiant impulsam S.S. & sciant, quòd ex Deo nati sint, 1. Joh. 5. v. 10. 13. Nos miserrimos efficit, quia si remissio peccatorum non nisi fallacibus conjecturis superstructa est, sanè pios in perpetuis animi cruciatibus*

& an-

& anxietatibus hærere oportet. Nulla enim major esse potest carnificina, quàm perpetuò fluctuare, & inter spem metumque dubium versari. Quocirca dedit nobis D E U S arrham promissionis, Spiritum sanctum, qui nos certos reddit, & gratiam Dei in nobis obsignat. Hunc facile agnoscunt, & à Spiritu malo discernunt pii. Ut enim cum credunt, se credere sciunt, ita cum aguntur Spiritu sancto, se ab illo, non alio regi flexi que intelligunt. Huc spectat illud Apostoli 2. Cor. 13. v. 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, ipsi vos probate; annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Iesus in vobis est?* Ubi sanè non loquitur Apostolus de præsentia Christi generali, quam vocant potentia & providentia, sed potius de speciali, seu gratia, quæ oritur ex fide, quam probare debebant Corinthii. Licet enim quidam essent perversi, multi tamen in illa Ecclesia fuerunt pii & verè fideles, quos Apostolus in illo textu alloquitur, & quibus *διωξιτε* probandi ac certò cognoscendi fidem apertissimè adsignat, & addit, *nisi forte estis reprobi*, unde sequitur, quòd dubitatio sit signum reprobationis. Illi enim fluctuant, illi semetipsos non probant, num sint in fide, qui reprobi, & peccatis contra conscientiam sunt dediti,

De dicto 1. XL. Ad dictum 1. Cor. 2 v. 12. excipit, non agi in eo de notitia beneficiorum Dei, quæ in particulari ad hunc aut illum pertinent, sed de notitia beneficiorum D E I, quæ D E U S preparavit electis suis.

Resp. Semper Papicolæ opponunt, quæ subordinata sunt. Utrumque enim Scriptura conjungit, & utrumque fidei attribuit, tum generalem assensum, quoad Dei beneficia; tum specialem fiduciam, quoad illorum adeptionem. Et hoc posterius cum primis respicit Apostolus. Non enim aliquam ideam Platoniam, in aère volitantem describit, sed consolationem cujusvis pii ostendit, quam ait consistere in Spiritus sancti acceptatione, qui datur eo fine, *ut sciamus*: quidnam? Non sanè tantum articulos & mysteria fidei in genere, sed cum primis, quæ *donata sunt nobis*, quæ beneficia adepti sumus, & à Deo impetraverimus, qualia sunt reconciliatio, remissio, adoptio &c. Hæc sunt illa bona nobis donata, de quibus ne ullam dubitandi ansam habeamus, Spiritum sanctum nos certificantem in corda nostra effusum esse scribit Apostolus.

41. IV. Ab

XLI. IV. Ab exemplis Sanctorum, qui certi *Quarum ab*
fuisse narrantur de sua justitia. Quodcunque plurimi *exemplis san-*
sancti certitudine fidei crediderunt, & in quo ipso ad imitan- *ctorum.*
dum nobis proponuntur, de illo non dubitandum, nec tantum
benè sperandum, sed potius certissime confidendum est. Sed plu-
rimi sancti gratiam Dei & peccatorum veniam certitudine fidei
crediderunt, & in hoc ipso nobis ad imitandum proponuntur.
Ergò de gratia Dei non dubitandum, nec tantum benè speran-
dum, sed certissime confidendum est. Pro minoris probatione,
multa produci possent exempla, ut Abelis, Enochi, Noachi &
aliorum fidelium, qui recensentur Hebr. 11. sed ne nimium simus
prolixi, tria tantum, eaque maxime insignia exempla in medium
adducemus, nempe 1. Abrahami. 2. Iobi. 3. Pauli.

XLII. 1. Abraham, Rom. 4. v. 12. vocatur *Pater omnium cre-*
dentium, non ratione carnalis generationis, quia non omnes ex *Exemplum*
Abrahami semine nascuntur; nec ratione spiritualis regenera- *Abrahami.*
tionis; quia non Abraham, sed Deus per verbum & Sacramenta
nos regenerat: Verum *ratione exempli sui & documenti*, siquidem in
Scripturis pater sæpe idem est, quod doctor, qui alios informat
vel præcepto, vel exemplo suo. Hoc sensu clamavit Elisæus
2. Reg. 2. v. 12. *Pater mi*, id est, magister vel præceptor; unde & di-
scipuli olim dicti sunt Prophetarum filij. Hinc ergò deduci-
mus, quòd dum Abraham credentium Pater constitutus est, no-
bis omnibus ad exemplum & imitationem fuerit propositus:
quod expressè innuitur Rom. 4. v. 23. 24. *Non est scriptum tantum*
propter ipsum, quòd reputatum sit illi ad justiciam, sed & propter nos,
quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum. Pro-
ut igitur fides Abrahami se habuit, ita & nostra fides ut se ha-
beat, oportet. Sed fides Abrahami fuit certa & immota fidu-
cia, quâ firmiter & sine omni hæsitacione apprehendit promif-
siones Dei. Ergò & nostram fidem oportet esse firmam ac im-
motam fiduciam. Minorem probamus, Rom. 4. v. 18. ubi fides
Abrahæ sic describitur, quod *contra spem in spem crediderit, ut fieret*
pater multarum gentium, v. 19. quòd non infirmatus fuerit in fide, nec con-
sideravit corpus suum emortuum, v. 20. quòd in promissione Dei non hæsi-
taverit

Objectum fi-
dei Abrahā-
mitica.

averit diffidentia, sed confortatus sit fide, dans gloriam Deo v. 21. plenissi-
me sciens quia quaecunq; promisit Deus potens est & facere, v. 22. Ideo &
reputatum est illi ad justitiam. In his verbis duo observanda sunt
1. Natura & proprietas fidei. 2. Objectum fidei. *Natura* sic descri-
bitur, quod fides Abrahā fuerit firma certaque fiducia, quod pa-
tet ex modo, quia credidit contra spem in spem; ex opposito, quia
non hæsavit diffidentia, ex adjuncto, quia confortatus est fide
plenissimè sciens, Deum posse facere, quæ promisit. *Objectum* fidei
est in genere promissio Dei, quâ tum corporalia, tum spiritualia
bona continebantur. *Corporale* beneficium est, generatio filii
& multiplicatio seminis, quod quidem respicitur v. 19. simul au-
tem includitur *Messias*, semen benedictum, cum beneficiis spiri-
tualibus. Quis enim putaret, Abrahamum fuisse justificatum, &
impetrasse veniam peccatorum ideò, quia credidit promissioni
Dei de generatione Isaaci. Nec fides Abrahā unam duntaxat,
sed omnem Dei promissionem apprehendit. Et si maximè Paulus
tantum ad multiplicationem seminis respexisset; hinc tamen
illud ipsum, quod volumus, obtineremus. *Nam qualis* fuit Abra-
hā fides circa promissionem de multiplicatione seminis, talis esse
debet nostra fides, circa promissionem gratiæ & veniæ, vi textus
Apostolici. *Sed* fides Abrahā circa promissionem de multiplica-
tione seminis fuit certa fiducia, omni hæsitationi opposita, & cum
plenissima scientia boni promissi conjuncta. Ergo & nostra fides
talis esse debet circa promissionem gratiæ & veniæ. Quod autem
Abrahamitica fidei objectum non fuerit sola promissio de semi-
nis multiplicatione, fusè ostensum est in disput. publ. de fide,
thesi 160.

Exceptio, spe-
cialiter paucis
revelatam fu-
isse Dei gra-
tiam,

XLIII. Ad hoc & alia exempla Bellarminus l. 3. c. 11. duo ex-
cipit: 1. Pauci illi viri, & ij valde eximij, fortasse peculiari revelationi certi
fieri meruerunt de gratia, quam apud Dominum invenerunt. Certè ad Abra-
ham manifestè dictum esse legimus Gen. 22. Nunc agnovi, quod timeas Do-
minum, id est nunc te agnoscere feci, quod verus sis cultor & amator Dei.

Resp. 1. Paucos nominat Bellarminus, quorum sunt plurimi,
quippe cum omnes credentes fidem Abrahā imitari fuerint. 2. Lo-
quitur Bellarminus dubitativè, *Fortasse*, quod refutari potest per
Non fortasse, *Nec enim in rebus fidei dubiæ incerteque glossæ,*
quæ

quæ probari nequeunt, confingendæ sunt. 3. Firmitudo fidei Abrahamiticæ nullibi orta dicitur ex peculiari revelatione, sed ex consideratione divinæ potentia, veritatis & promissionum. Cogitavit Abraham, quòd Deus sit omnipotens in faciendo, & verax in promittendo: Hinc igitur contra spem in spem credidit, nec hæsitavit diffidentia. Jam credentes eadem fundamenta considerare debent, & tum similiter certam immotamq; fiduciam haurient. 4. Peregrina est expositio, Nunc cognovi, id est, *cognoscere te feci*. Non enim antè ignoravit hoc Abraham, cum jam dudum ante susceptam Isaaci immolationem fuerit justificatus, & contra spem in spem crediderit, nihil hæsitans, sed plenissimè sciens. Proinde verbum illud non de Abrahami, sed Dei potius cognitione intelligendum est, qui pietatem Abrahamæ ex voluntate immolandi *ἀβραάμω πιστῶς* dicitur cognovisse, non quòd priùs nescierit, sed quia factum istud illustre fuit signum, quo interior pietas, fides & obedientia Abrahamæ fuit manifestata. 5. Si Abraham ex illo bono opere infallibiliter cognovit fidem suam, tum Dei gratiam, cur non & alij fideles ex bonis operibus suis idem possent cognoscere.

I l. Excipit, Scripturam dum sanctos commendat, & eorum justitiam & virtutes laudat, nos certos reddere, quibus id utilissimū erat, potius quàm illos.

Resp. 1. Exemplum Abrahamæ luculenter refutat hoc *σὸφισμα* Jesuiticarum. Scriptura enim innuit, illum iptum fuisse certum de gratia Dei, non quidem ex peculiari revelatione, sed virtute fidei, quæ nitetur promissione & veracitate divinâ. Ut igitur Abraham certus fuit pro sua persona: sic quemlibet fidelem, tum posse, tum debere certum esse consequitur. 2. Accipimus, quòd exempla fidei sanctorum propter nos annotata sint. In quem verò finem? Non sanè ut fluctuemus, aut in perpetuo angore ob infirmitatem propriam versemur, sed potius, ut illos imitati, simpliciter firmam fiduciam concipiamus, nihil hæsitantes, sed Dei promissionibus sine omni dubitatione confidentes, ut ita de peccatorum remissione gratuita reddamur certi, & confortemur in fide. Hunc, non alium finem annotatorum exemplorum fuisse, Paulus loco allegato clarissimè ostendit.

**Exemplum
Iobi.**

XLIV. 2. Iobi exemplum pariter urgere possumus, quippe qui certus fuit non tantum de gratia Dei, sed de gloriosa insuper resurrectione sua, cum c. 19. v. 25. scribit: *Et ego scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspexerunt, & non alienus: Reposita est haec spes mea in sinu meo.* Beatam visionem hic notari, nemo est ex Pontificijs, qui facile negaverit. De hac autem Jobum fuisse certum, ipsa verba indicant, cum ait, Scio, *יָדַעְתִּי* à Rad. *יָדַעַ*, quæ notat plenam, certam ac indubitatam rei scientiam, quo pacto sumitur Gen. 15. v. 13. c. 48. v. 19. 1. Sam. 24. v. 11. Psal. 138. v. 2. Psal. 143. v. 3. Prov. 27. v. 5. Vidit hoc Jesuwita Pineda, qui in comment. super cap. 19. Jobi in v. 25. num. 1. pag. 96. expressè scribit: *Fidei cognitio (de qua Jobum loqui concedit) & obscura hæc scientia divinorum, solâ visione beatâ inferior est claritate, equalis certitudine, reliquis omnibus aliis scientiis longè superior atq; certior.* Hoc autem exemplum cum Bellarminus non assumerit, nec quicquam responderit diutius immorari non habemus necesse.

**Exemplum
Pauli.**

XLV. 3. Apostolus Paulus Rom. 8. v. 38. 39. suo nobis exemplo præluet longè clarissimo. Sic enim scribit: *Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura aliqua poterit nos seperare à charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro.* His sanè verbis Apostolus & sibi, & omnibus fidelibus gratiam Dei firmissimè promittit, & de illa se certissimum esse innuit, quippe quæ in Christo ita sit roborata, ut nihil ab illa nos separare valeat. Neque hoc jactabundè de se solo refert, sed potiùs Dei gratiam piè commendat, suumq; exemplum humiliter proponit, ut nos illud imitemur, & in fide confortemur. Nec enim istius certitudinis peculiarem aliquam, nobisque denegatam causam recenser, videlicet revelationem singularem, ut putant Pōrificij: sed generalia, omnibusque fidelibus communia fundamenta enarrat, & ex iis certitudinem istam deducit. Talia sunt 1. *Incorporatio mystica*, quâ per fidem Christo inserimur, de quâ vers. 1. Nihil ergò nunc damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu. 2. *Sublatio reatus*, per Christi obedientiam facta

**Fundamenta
Pauli, unde
fuit certitudo.**

facta. v. 3. 4. Quod impossibile erat legi, in qua infirmabatur per
 carnem, Deus Filium suum mittens in similitudine carnis pec-
 cati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio
 legis impleretur in nobis. 3. *Gratiosa Spiritus sancti inhabitatio*, de
 qua v. 9. 10. 11. & in primis v. 15. agitur: Non accepistis Spiritum
 servitutis, sed adoptionis. 4. *Spiritus sancti testificatio*, v. 16. quia testi-
 monium reddit Spiritui nostro, quod simus filij Dei. 5. *Spei firmi-
 tudo*, quâ certò expectamus redemptionem corporis nostri. v. 23.
 & quâ jam salvi facti sumus, v. 24. 6. *Spiritus sancti auxilium*, qui
 infirmitatem nostram adjuvat, & pro nobis gemitibus inenar-
 rabilibus intercedit. v. 26. Hunc autem Spiritum certò exaudi-
 ri, quis non crederet? 7. *Certitudo decreti divini*, de vocatis & ju-
 stificatis, suo tempore glorificandis, v. 29. 30. 8. *Divina protectio*,
 v. 31. Si Deus pro nobis, quis contra nos? 9. *Summa Dei dilectio*,
 quâ nos ita persecutus est, ut etiam proprio Filio non peperc-
 rit, sed pro nobis omnibus tradiderit illum, v. 32. Quomodo non
 etiam cum illo omnia nobis donavit? 10. *Gratuita Dei absolutio*,
 v. 33. Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat. 11.
Christi satisfactio, quâ nos liberavit, & *collocatio ad dexteram Dei*, cu-
 jus vi meritum suum applicare potest, & *interpellatio pro nobis*, quâ
 applicare vult v. 34. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus
 adest qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui & est ad dexte-
 ram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Atq; ex his jam com-
 muni bus fundamentis summam gratiæ & salutis certitudinem
 deducit Apostolus, ita concludens: *Quis ergo nos separabit à chari-
 tate Christi? Certus sum, quod nihil nos seperare queat.*

XLVI. Hæc certitudinis nostræ fundamenta licet sint longè
 solidissima; Bellarminus tamen illa concutere tentat l. 3. c. 9 per *Exceptiones*
 geminam textus Apostolici expositionem. *Prima ipsi est, quod lo- Bellarmini.*
quatur Apostolus de prædestinatis in genere, & sensus sit, certum esse, omnes
prædestinatos perseveraturos in charitate Dei.

Resp. Ab inclusiva ad exclusivam non licet argumentari.
 Fatemur, quod certitudo prædestinationis includatur, sed hinc
 non sequitur, quod specialis certitudo in firma applicatione
 consistens excludatur. Hanc enim confirmant omnia illa fun-
 damenta, modò enumerata: hanc demonstrant Pronomina

illa applicantia, si DEVS pro NOBIS, quis contra NOS? Quis NOS separabit? Nihil NOS separare poterit. His enim particulis non tam generalis fides de certò salvandis electis, quàm fiducia specialis, quàm quilibet fidelis certus est de gratia Dei & dilectione erga se in individuo, denotatur.

Altera expositio Bellarmini est, quòd loquatur Apostolus de se in particulari & aliis similibus sibi, sed per illud, certus sum, non intelligi certitudinem fidei divina, sed quandam persuasionem & confidentiam, ad quam gignendam satis sit certitudo conjecturalis. Et hoc probat ex verbo *πέποιθα*, quod significat proprie persuasus sum, sive confido.

Resp. 1. Discedit Bellarminus ab aliis Pontificiis, qui Paulum dicunt de se solo loqui, & eum certum fuisse de sua prædestinatione ex peculiari revelatione. Quam glossam non cõsistere posse vidit Bellarminus, quippe cùm Apostolus non de se uno, sed de omnibus fidelibus loquatur, dicens, *Certus sum, quòd nos nihil separare valeat.* 2. Petit principium, dum ait, *Notari certitudinem conjecturalem non fidei.* Qui enim scit & credit, nihil esse damnationis in fidelibus; qui sentit testimonium Sancti Spiritus, quòd sit Filius Dei; qui credit se justificari & absolvi, se non condemnatum iri, se à dilectione Dei separari non posse, (quæ omnia Paulus affirmat) is sanè non conjecturaliter, sed infallibiliter certus est de gratia Dei: Hoc ipsum alibi per verbum *scire* explicat, uempè 2. Corinth. 4. v. 13. 14. *Habentes eundem Spiritum fidei, & nos credimus, scientes, quoniam qui suscitavit Iesum, & nos cum IESU suscitabit (nempe ad vitam æternam) & constituet vobiscum.* Quod si Apostolus Paulus hoc scivit, & sciendo credit, utique non fuit in ipso tantùm conjecturalis certitudo & nulla persuasio, sed potiùs firma & infallibilis fiducia, cum certa cognitione conjuncta. Unde unà concidit ratiuncula, ex verbo *πέποιθα* petita. Sit enim quòd alibi persuasionem notet, ex circumstantiis tamen hujus loci apparet, certam & indubitatam fiduciam per illud indicari. Est ergò verbum generale, persuasionem significans, quæ num sit certa vel dubia, ex cujuslibet textus circumstantiis inquirendum est. Nam per illud ipsum verbum non perpetuò persuasionem spirituales, sed sæpè

ſæpè infallibilem fidei certitudinem innui, patet ex Rom. 14. v. 14. οἶδα καὶ πεισθεμαι, Scio & persuasus sum, (id est, firmiter credo) in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum. Et 2. Timoth. 1. v. 12. πεισθεμαι persuasus sum, hoc est, certissimè credo, quia potens est DEVS depositum meum servare in diem illum. Concludimus ergò hoc argumentum dicto Bernhardi, quod legitur serm. 3. in Pentecosten: Sitis certi, quia neq₃ mors, neq₃ vita, neq₃ cetera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quam audacter enumerat, poterunt nos separare à charitate DEI, quæ est in Christo Iesu.

XLVII. V. AB EXAUDITIONIS CERTITUDE. *s. Ab exauditionis certitudine.* Quicumque supplicans certò exauditur; is boni, quòd petit, adeptionem certò potest & debet credere. Sed omnes bona spiritualia petentes, certò exaudiuntur. Ergò adeptionem honorum spiritualium, quæ petunt, certò credere possunt & debent. Major extra dubium est: Minor probatur ex Matth. 18. v. 19. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunq₃ petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est, Matth. 21. vers. 22. Omnia, quacunq₃ petieritis in oratione, credentes accipietis. Marci 11. vers. 24. Omnia quacunq₃ orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis, Johan. 16. vers. 23. Amen, Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. His sanè dictis removeretur omnis dubitatio & servilis formido, quòd nempe orantes non debeamus dubitare de boni petiti adeptione, sed hanc potiùs firmissimè credere, quò spectat etiam illud Jacobi c. 1. vers. 16. Si quis vestrum indiget Sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hesitans. Unde sic colligimus: Quicumq₃ debet credere sine hæsitatione, se aliquod bonum impetraturum, is certitudine fidei de illo certus esse debet. Sed omnes pii, petentes spiritualia beneficia, quò imprimis spectat remissio peccatorum; Matth. 6. v. 12. debent credere, se illa bona impetraturos. Ergò pii petentes spiritualia beneficia, de illis certi esse debent certitudine fidei.

XLVIII. Nihil habet Bellarminus, quod excipiat, nisi hoc unum, Intelligendas esse promissiones exauditionis cum illa conditione, si benè petamus, & si expediat, illud nobis dari, lib. 1. de Justificat. cap. 11.

Resp.

Resp. 1. Quod attinet posteriorem conditionem, illa tantum adhibenda est circa petitionem bonorum temporalium. Nos autem loquimur hic de beneficiis spiritualibus, quae dari nobis semper expedit.

2. Priorem conditionem, si bene petamus, libenter admittimus, sed ita, ut non nisi ex Scripturis addiscatur modus bene recteque orandi. Haec autem innuunt, tum nos bene precari, si credamus, nos imperaturos, quae petimus, nihilque haesitemus. Quare ipsa fiducia sub conditione illa requiritur. Qui enim dubitat, nihil impetrat: qui autem firmiter credit, ideoque promissionibus fidem adhibet, is certo exauditur, juxta illud I. Joh. 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus, secundum voluntatem ipsius, audit nos.* Et v. 15. *Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, scimus, quia habemus petitiones, quas postulavimus ab eo.* Tali fiducia, qui accedit ad thronum gratiae, is optime & certissime precatur. Qui autem dubitat, is nec Deum Patrem suum appellare, nec Amen adjicere potest; cum vox illa sit non tantum optantis, sed credentis etiam ac confirmantis. Atque sic faciunt Papiolæ suis hypothesebus, ut nec primam nec ultimam orationis Dominicæ vocem recte pronunciare valeamus. Si enim *yo* *pa-* *tris* firmiter credere nec possum, nec debeo, quâ conscientia Deum compellere potero & dicere: *Pater noster, qui es in caelis?* Si de filiatione dubito, quâ Patrem nuncupabo? Ita si de exauditione certus esse nequeam, quâ conscientia pronuntiabo *Amen*, vel *Fiet*, sive, *hoc certissime verum erit?* Quod enim mihi incertum, hoc tanquam certo futurum pronunciare non debeo.

Sextum a promissionum divinarum veritate.

XLIX. VI. A promissionum divinarum veritate & immota firmitate. Qui credere debent promissionibus divinis, illi debent esse certi de bonis promissis, certitudine fidei. Sed omnes pii & poenitentes debent credere promissionibus divinis. Quare omnes pii & poenitentes debent certi esse certitudine fidei, de bonis promissis. Notes hic 1. Quod non loquamur de Epicureis vel impiis, sed de piis & poenitentibus, quippe quibus solis proprium est credere. Num verò aliquis sit pius & verè poenitens, hoc non incertum est, vel sciri impossibile, cum

cum quivis seipsum probare & tentare valeat, 2. Quid non loquamur de promissionibus bonorum temporalium, quæ conditionatae sunt, sed potius spiritualium, quæ absolutæ, & nihil nisi fidem prærequirunt. Quibus præsuppositis, pro demonstratione minoris, & confirmatione totius argumenti probe observanda sunt octo illa membra, quæ Dn. D. Gerhardus eruditè collegit & recensuit tom. 3. §. 83. de Justific.

Primum est *Finis promissionum*, qui non alius, quàm ut de gratia & charitate Dei reddamur certi. Positâ ergò promissione tanquam basi, firmiter initi potest, debetque fiducia.

*Octo membra,
circa promissiones
divinas
consideranda.*

2. *Discrimen legalium & Evangelicarum promissionum.* Illa reddunt nos dubios ob additam conditionem perfectæ obedientiæ, quæ impossibilis: hæ nos erigunt, cum gratiæ sint, nec nostris operibus superstructæ. Hinc ex fide dicimur justificari, Rom. 4. v. 16. ut firma sit promissio.

3. *Dei veritas.* Nunquam fefellit, nec fallere potest, quia verax est, Rom. 3. v. 4. ejusque fides per incredulitatem hominum non evacuatur, v. 3. 2. Tim 2. v. 13. Credamus ergò firmiter, quia in promissis Dei nulla est falsitas, cum in faciendis omnipotenti nulla sit difficultas, uti Fulgentius loquitur l. 1. ad Monimum.

4. *Divinarum promissionum proprietates.* Non sunt ambiguæ, instar oraculorum Delphicorum, sed apertæ, certæque: non sunt dubiæ & fallaces, sed immotæ & veraces, ut iis fidere nolle, desperati animi sit τανυήθειον certissimum.

5. *ἰμωυέεια promissionum cum verbo.* Ut hoc in æternum non transit, Luc. 21. v. 33, ita promissiones Dei certissimè implentur.

6. *Exempla servatarum promissionum.* Horum fermè innumera extant in Scripturis: nullum autem profecti potest, quòd Deus promissionem aliquam non servaverit.

7. *Similia*, quibus certitudo promissionum declaratur. Comparantur enim petræ immotæ, Math. 7. 25, terræ firmæ, Hebr. 6. v. 19. & pacto infallibili, Jer. 31. v. 33. 34. Osee. 2. v. 19.

Tandem 8. *discrimen humanarum ac divinarum promissionum.* Ille sunt lubricæ & fallibiles, quia omnis homo mendax: hæ sunt indubitatae & infallibiles, quia solus DEUS verax, imò ipsa veritas,

F

Hæc

Hæc sanè omnia pōtenter evincunt, quòd firmiter, sine
ōmni hæsitacione, promissionibus divinis credere, & per conse-
quens de bonis promissis, præsertim de remissione peccatorum,
certitudine fidei certi esse debeamus. Sic enim colligimus: *Cui-
cunq;* peccatorum promissio verissimè est promissa, is certitudine
fidei certus de illa esse potest & debet. *Sed* omni pœnitenti (num
& quis autem talis sit, seipsum prober) peccatorum remissio ve-
rissimè est promissa. *Quare* omnis pœnitens de remissione pecca-
torum certitudine fidei certus esse potest & debet.

L. Bellarminus, quod excipiat, nihil invenit, nisi hoc unum,
*promissiones, cum applicantur in particulari, esse conditionatas, non absolu-
tas.* Non enim ait l. 3. c. 11. *quæ promittuntur Ecclesiæ, conveniunt sin-
gulis hominibus, nisi illi per fidem & charitatem incipiant esse membra viva
corporis & Ecclesiæ.*

*Promissiones,
fidem requi-
rentes, confir-
mant certitu-
dinem.*

Resp. Quis ex nostris unquam vel somniavit falem, pro-
missiones singulis hominibus, sine fide etiam, applicari posse?
Hinc tamen minimè conficitur, promissiones Evangelii esse con-
ditionatas, & certitudinem gratiæ labefactari. Non requirunt
illæ nostra merita vel opera, quorum respectu tantum promissio
aliqua vocatur conditionata. Et fidem quod concernit, illa ipsa
per promissiones accenditur, quoniam sunt correlata. Dum enim
promissionem audio, statim fidem concipio ob Dei veritatem, &
ita bonum promissum apprehendo. Tantum igitur abest, ut cer-
titudinè tollatur per hoc, quia fides requiritur, ut potius illa magis
magisque stabiliatur. Quia enim exclusis operibus, sola fides, ut
instrumentum apprehendens, postulatur, & quia hæc fides per
ipsas promissiones in nobis excitatur, hinc utique dubitanti nul-
la amplius causa relinquatur. Si ambigis fide? *En promissionem,*
quâ DEUS fidei infusionem est pollicitus. Si ambigis de remis-
sione peccatorum? *En fidem* in te beneficio promissionis accen-
sum, quâ DEI gratiam firmiter apprehendere, & de illa certus
esse poteris. Et sanè hoc unum si notetur, absurditas doctrinæ
Papisticæ mox elucescet. Quæritur, *An possit aliquis certitudine fidei
peccatorum suorum remissionem credere?* Affirmant illi, sed sub hac
conditione, *si fidem habeat.* Verum nos statim regerimus, *hoc
ipso sine promissiones esse datas, ut fidem habeas.*

Debet

Debet enim quivis credere, Deum certò sibi propitium esse. Cur? Quia hoc omnibus promissum est, nullo excluso, ideoque quod omnes concernit, singuli debent credere. Proinde sic concludimus: *Quicquid est objectum fidei, in ipsis Scripturis expressum, hoc tenentur singuli credere, nec disputandum est prolixè, num liceat debeatque illud credi. Sed Christum satisfacisse pro peccatis nostris, & velle DEUM nobis petentibus debita nostra remittere, est objectum fidei, in Scripturis ipsis passim expressum. Ergò singuli tenentur hoc credere, nec disputandum est prolixè, num liceat debeatque credi, ut ita rectissimè Lutherus noster scripserit: Qualis est copulatio mariti & fœminæ in legitimo matrimonio, videlicet indissolubilis: talis quoque fidei & promissionis connexio.*

LI. VII. A sanctissimo Dei juramento. Quicquid Deus non simpliciter promisit, sed insuper juramento confirmavit, de illo possumus & debemus esse certissimi. *Sed remissionem peccatorum gratuitam non tantùm simpliciter promisit, sed insuper juramento confirmavit. Quare pii de remissione peccatorum possunt & debent esse certissimi. Majore extra dubium positâ, minoris veritatem evincimus ex Ezech. 33. v. 18. Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Et Joh. 5. v. 24. Amen, Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed à morte transivit in vitam. Clarissimum est hoc juramentum, quod eo fine prolaturum esse affirmat Apostolus Hebr. 6. v. 16. 17. ut ostendatur τὸ ἀμετάθετον firmitas atque immobilitas consilij divini, & nos validam habere possimus consolationem. O igitur beatos nos, quorum causa jurat Deus! O miserrimos, si nec Deo juranti credimus, scribit Tertull. l. de pœni. Quid enim est Dei viviveracisque juratio, nisi promissionis confirmatio, & infidelium quadam increpatio? teste Augustino l. 16. de civit. Dei c. 32.*

LII. IIX. A Sacramentorum efficacia. Quicquid certis sigillis confirmatur & obsignatur, de illo non dubitamus, sed potius certissimi sumus. At verò remissio peccatorum certis sigillis nimirum Sacramentis, confirmatur &

7. A sanctissimo Dei juramento.

8. A Sacramentorum efficacia.

obsignatur. Ergò de remissione peccatorum non dubitemus, quia certissimi esse possumus. *Minorem* probamus & illustramus à *Sacramentorum fine*, quæ inter alias causas ideò quoque instituta sunt, ut adultos tanquam sigillo divino confirmet, certosque efficiant de gratia Dei & peccatorum venia. Hinc circumcisio vocatur *σφραγίς* vel signaculum justitiæ fidei, Rom. 4. v. 11. quoniam designabat gratuitam justificationem. Et Baptismus est *ἐπερώτημα* bonæ conscientiæ *εἰς Θεόν*, 1. Petr. 3. v. 21. quia per Baptismum de benevolo Dei erga nos affectu certi reddimur. Sic in cœna manducamus ipsum Christi corpus pro nobis in mortem traditum, & bibimus illum ipsum sanguinem, qui pro nobis in ara crucis effusus est. Quî ergò de Christi gratia, tam firmis sigillis confirmatâ, dubitare possumus.

LIII. Ad hanc rationem Bellarminus lib. 3. cap. 11. excipit dupliciter.

1. *Falsò assumi, quòd Sacramenta instituta sint præcipuè ad fidem sustentandam, & nos certos de voluntate Dei reddendos.* Sed crassissimus hîc error est, cujus contrarium ex Rom. 4. & 1. Petr. 3. facillè evincitur, de quo in loco de Sacramentis fusiùs agi consuevit.

2. *Sacramenta esse quidem signa justificationis ex parte sua, interim effectum eorum impediri per indispositionem suscipientis, cum ad salutarem usum requiratur fides & pœnitentia.* Respond. Si de Pœdobaptismo sermo sit, fides non prærequiritur, nec ante baptismum adesse potest, cùm infantes naturâ sint filii iræ, Eph. 2. v. 3. Si Sacramentum cœnæ intelligat, fatemur, fidem & pœnitentiam requiri, sed hinc minimè sequitur, quòd Sacramenta obsignare nequeant, & nemo de remissione certus esse possit. Nam fides illa non est opus nostrum, & pœnitentia non consistit in satisfactione, aut etiam peccatorum enumeratione, unde dubitationem oriri facillè largimur: sed fides est fiducialis apprehensio meriti Christi, & præcipua pars pœnitentiæ, quæ nym adsit, probare seipsum quis potest, & ejus confirmationem è Sacramentis haurire. Nec enim illam obsignationem gratiæ extendimus ad quemvis utentem Sacramento, sed tantùm ad dignè utentes, seu pœnitentes, qui seiplos examinare, & discernere possunt. Firmum proinde stat argumentum nostrum: Quod sigillo certo ob-

to obfignatur, de illo dubitandum non est. Sed gratia DEI sigillo certo nempe Sacramento obfignatur. Ergo de gratia Dei dubitandum non est. Quæ Bellarminus aspergit de intentione ministri, cum è lacunis Scholasticis petita sint, & meram principii petitionem contineant, responso indigna iudicamus.

LIV. IX. A privata publica que ministrorum ^{9. Ministro- rum absolu- tione.} absolutione. Cui loco Dei, per ministrum Christi, peccata omnia remittuntur in terris, ita quidem, ut hæc remissio rata habeatur in cœlis, is de gratia Dei certissimus esse poterit. Sed omni pœnitenti, loco Dei per ministrum Christi peccata sua remittuntur in terris, ita quidem, ut hæc remissio rata habeatur in cœlis, vi factæ promissionis, *Matth. 18. v. 18. & Ioh. 20. v. 23.* Quare peccator pœnitens de gratia Dei certissimus esse poterit. Non video, quid solidè possint excipere Pontificii. Cum enim minister in Christi nomine pronunciat, *Ego de absolvo*, vel est certum, quod dicit, vel incertum. Si certum est, habemus quod volumus, siquidem hoc pacto quivis absolutionem accipiens, peccatorum veniam certissimè credere potest & debet. Sin incertum, tum peccat minister, nomine Christi audacter pronuncians, quod fortassis est falsum. Et potest ei dici: *Domine tu mentiris*, ut rectè, conclusit Lutherus.

LV. Argumentum hoc proposuit quidem Bellarminus c. II. sed leviter tangit in responsione, & miscet absolutionem cum Baptismo, ita scribens: *Non potest dici ministro, Domine tu mentiris, si quis fortè ficto corde accedens, à ministro, qui id ignorat, simpliciter baptizetur. Non enim ille, cum dicit, ego te baptizo, aliud significat, nisi ego Sacramentum tibi præbeo, quod vim habet omnia peccata delendi, vel, (quod est in me) abluo te, & mundo à sordibus peccatorum.*

Resp. I. Minister nec baptizat, nec abluit suo, sed Dei loco. Valeat ergò glossema istud: *Quod est in me.* Nihil enim est in ministro, ratione sui considerato, quæ de causa periret omnis Sacramentorum virtus, si non alius respectus accederet. Debent igitur æstimari, ut sunt organa divinitus instituta pro fide tum infundenda, quod fit in Pædobaptismo, tum alenda & confirmanda, quod fit in Sacramento cœnæ. Eff. ctus ille semper locum

habet in infantibus, iste in adultis pœnitentibus, nec ministri intentionis aliquid vel addit vel demit.

2. Absolutionem quod spectat, fatemur eam tam crudè non esse accipiendam, quòd certò remittantur peccata, siue pœnitentia adsit vel absit, & siue seria sit vel ficta & hypocritica. Nam vera omninò prœrequiritur, quæ tamen ipsa non habet rationem meriti, nec consistit in propriis opellis, sed fundatur in fide, quam Christus accendit per promissiones, & cujus præsencia non est occulta, sed cuius semetipsum probanti facilè innotescit. Cùm igitur scio, me seriò pœnitere, gratiam optare, nullumque Spiritui sancto obicem ponere, & simul audio, à Christi ministro loco Dei, peccata mihi omnia remitti; tum sanè nulla dubitationis causa manet reliqua, sed potius de Dei gratia, & peccatorum venia possum esse certissimus.

x. A pronomi-
nibus applica-
tionem notan-
tibus.

LVI. X. A pronomibus applicationem notantibus. Quando enim fidei in ipso exercitio & justificandi actu describitur, sæpè pronomina *nostris*, *nobis*, *me* &c. adhibentur in Scripturis, ad indicandum, fidei justificantis naturam esse, circa promissiones salutis ita versari, ut illis se ingerendo, & sub iis subsumendo, unicuique individuo credenti applicentur. Quò spectant dicta Gal. 1. v. 3. *Christus dedit semetipsum pro peccatis nostris*, c. 2. v. 20. *Qui dilexit ME, & dedit semetipsum pro ME*, c. 3. v. 13. *Christus factus est pro nobis maledictum, &c.* Ex his verò ita concludimus. Quicumque gratiam Dei & meritum Christi sibi in individuo debent applicare, illi unà firmissimè debent credere peccatorum veniam, quippe quæ cum applicatione vel ut effectus cum causa, semper est copulata. Sed omnes credentes gratiam Dei & meritum Christi, sibi in individuo debent applicare, vi allegatorum textuum, & exemplo Pauli. Quare omnes credentes unà firmissimè debent credere peccatorum veniam.

xi. A remotione
causarum
dubitandi.

LVII. XI. A remotione causarum dubitandi. Ubi nullæ adsunt dubitationis causæ, ibi temerarium est dubitare velle. Sed nullæ adsunt causæ, an pii de gratia DEI & remissione peccatorum dubitare debeant. Ergò temerarium est, dubitare velle. *Minorem* probamus, quia omnia illa, quæ animum

num reddere possunt dubium, nullius sunt roboris, & jam antè
in Scripturis remota.

Hujusmodi sunt 1. *Propria indignitas & operum imperfectio.* At
verò scimus, quòd salutis negotium non nitatur nostris meritis,
sed unicè divinis promissionibus. Nostra igitur indignitas & im-
perfectio nequaquam obstat certitudini, cùm DEI virtus in in-
firmitate sit efficax.

2. *Ody divini suspicio.* Atqui Deus in Christo benignissimè
erga nos affectus est, & omnium salutem seriò desiderat. Testa-
tam fecit hanc voluntatem dictis, juramentis, exemplis, ideoque
omnem de absoluto decreto cogitationem abjiciamus.

3. *Particularitas meriti Christi.* At venit salvare id omne, quod
perierat. Quare propitiatio est, non tantùm pro nostris vel fide-
lium, sed etiam pro totius mundi peccatis, & expectat quotidie,
ut onerati veniant, & refrigerium accipiant.

4. *Particularitas vocationis.* Sed omnes, qui sunt baptizati & vi-
vunt in Ecclesia, (de quibus solis hinc loquimur,) sunt simul voca-
ti, & illis divina beneficia offeruntur in verbo & Sacramentis,
quippe quæ sunt manus Dei, per quæ sua nobis dona porrigit.

5. *Nostra indispositio,* ob quam putamus sæpè, nos ad accipien-
dam gratiam esse ineptos & indignos. Verùm nihil requiritur à
nobis, quàm usurpatio mediorum: Nulla ex parte nostri dispo-
sitis meritoria est necessaria: Modò nos habeamus passivè, nec
obicem ponamus Spiritui sancto, tum accipiemus à Deo fidem,
& reliqua dona Spiritualia.

6. *Peccatorum consideratio.* Sed ideò venit Christus, ut pro pec-
catis satisfaceret, Ejus ergò meritum si apprehendimus, peccata
nobis nocere haud poterunt. Deus quidem irascitur transgres-
soribus, sed iram temperat misericordiâ, modò agatur pœniten-
tia. Non enim delectatur morte morientis, sed ut vivat. Multū
fuère peccatores crassissimis sceleribus polluti, & tamen remis-
sionem impetrârunt. Nondum es Petrus abnegator, vel latro, vel
Magdalena meretrix. Hi tamen omnes, cùm veniam consecuti
sint, quare tu ambiges, nec fidem Dei promissionibus adhibebis?

7. *Crucis impositio & calamitatum multiplicatio.* Sed hæc signa
sunt Dei benevoli, non irati. Castigat enim quem diligit, &
suos maturè corripit, ne cum mundo damnentur. Si quam
ergò

ergò experieris tribulationem, habeas illam pro amotis signo, & in tuum vergere emolumentum, certissime credas.

8. *Dubitationum subinde assurgentium presentia.* Per illas enim sæpissimè turbamur, ut Deum à nobis aversum esse arbitremur; sed cogitemus, hoc non ex fidei natura, non ex certitudinis impossibilitate, sed potiùs ex carnis infirmitate oriri, & à Deo per-mitti, non ut dubitationibus indulgeamus, sed potius ut iis relu-ctemur, & verà fide superemus. Ita ergò cùm Scriptura ex omni parte dubitandi causas removerit, meritò acquiescere, & de be-nevolò Dei affectu certissimi esse debemus.

12. *A fine Scri-
pturæ.*

LVIII. XII. *A fine Scripturæ.* Data nobis est inter cætera, ut per pœnitentiam & consolationem, spem habea-mus, non sane ambiguam, dubiamque, sed potiùs certam & im-motam, Rom. 15. v 4. Quodcunq; igitur dogma consolationem so-lidam, & spem certam adimit, illud non est sacris literis consen-taneum. Sed dogma Papisticum, de incertitudine remissionis pec-catorum, consolationem solidam & spem certam adimit. Quare non est sacris literis consentaneum, Minor prolixâ probatione non indiget, sed per se manifesta est. Quomodo enim locum in-veniet vera *ἡσυχία*, pax & quies conscientiæ, si quis de favo-re Dei & peccatorum veniâ certus esse nequeat? Quomodo eri-geretur turbatus animus in tentatione? Semper enim excipiet ad allegatas Dei promissiones, esse eas merè conditionales, & prærequirere perfectam legis impletionem, plenariamq; satisfactionem; quæ cùm in-mortalium neminem cadant, ideò & nemo qui purus putus Pon-tificius est, tranquillam lætamq; conscientiam habere potest.

13. *A dubita-
tionis defor-
mitate.*

LIX. XIII. *A dubitationis deformitate.* Hæc ut demonstratur, prolixa probatio non requiritur. Quid enim est dubitare, nisi in perpetuo mentis angore versari, & suspensum inter spem & metum hædere? Quâ interiori cordis carnificinâ quid tristius, quidvè molestius vel cogitari saltem potest? Ac-cedunt alia incommoda, siquidem dubitatio. 1. Tollit naturam fidei, quæ est fiducia. 2. Adversatur primæ legis tabulæ, quæ requirit, ut Deo super omnia confidamus. 3. Arguit Deum mendacij & perjarii, juxta illud 1. Johan. 5. vers. 10. *Qui non credit DEO, mendacem facit eum.* 4. Impedit efficacem orationem, cùm

cum nihil accipiat homo, si hæsitet. 5. Adimit consolationem solidam, in cruce & tentationibus. 6. Reddit conscientiam irrequietam. 7. Enervet internam Spiritus sancti testificationem. 8. Incertam reddit Sacramentorum efficaciam. 9. Impugnat absolutionis firmitatem. 10. Oritur ex corruptione carnis. 11. Est ignitum telum dæmonis. 12. Signum reprobationis. 13. & Mater desperationis. Quæ omnia considerans B. Lutherus noster reatissime scripsit in c. 41. Gen. *Etiamsi nihil præterea fuisset in doctrina Pontificia, quàm quod docuerunt, nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remissione peccatorum, gratia & salute nostra, justas tamen haberemus causas, cur ab Ecclesia infideli nos sejungeremus.*

LX. XIV. A testimonio Patrum. Multa illorum ^{14. A testimo-} recensuit ex parte nostra Chemnitius, ex parte Pontificiorum Ca- ^{nio Patrum.} tharinus: nos paucis contenti erimus. Ita verò scribit ex antiquissimis Tertullianus l. de resurrectione carnis capite 7. *Secura estote caro & sanguis: Vsurpatis & cælum & regnum DEI in Christo. Ave si negent vos in Christo, negent & in cælo Christum, qui vobis cælum negaverunt.* Cyprianus l. advers. Demetrianum; *Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi ruinas erecta mens, & immobilis virtus, & de Deo suo semper anima secura.* Idem serm. 4. de mortalitate: *Si justus es, si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus & pollicitationem Domini securus amplecteris? DEVS tibi de hoc mundo recedenti immortalitatem pollicetur. Et tu dubitas & fluctas? Hoc est, DEVM omninò non nosse, hoc est, Christum, credentium magistrum, peccato incredulitatis offendere, hoc est, in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere.* Augustinus serm. 28. de verbis Domini: *Omnia tibi peccata dimissa sunt. Ideò præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Non ergò hic arrogantia est, sed fides, prædicare quod acceperis, non est superbia, sed devotio.* Idem in Psal. 148. *Quid tibi promisit Deus, non homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis, crede, credo plus est jam quod fecit, quàm quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est, quòd mortuus est æternus, quàm ut æternum vivat mortalis: Iam quod incredibilius est, teneamus.* Chrysostomis homil. II. in Jerem. *Quicumq; penitus Christo non credunt, condemnant eum: Qui autem credunt, & adhuc ambigunt, dijudi-*

cant illum. Duo igitur apud hominns perpatitur: Ab incredulis condemna-
tur, ab ambigentibus discernitur. Bernhardus de fragmentis septem
panum serm. 3. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit; Caritatem
adoptionis, Veritatem promissionis; Potestatem redditionis. Hec tria sicro-
borant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla con-
sideratio proprie vilitatis, nulla aestimatio cœlestis beatitudinis ab altitudine
spei dejicere possit in ea firmiter radicum. Idem serm. 61. in Cantic.
Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur. Non cado, fundatus enim
sum super petram firmam; peccavi peccatum grande, turbatur conscientia,
sed non perturbatur, quoniam vulnerum Christi recordabor. Et Epist. 190.
contra Abailardum: Nonne si fluctuat fides, inanis est spes nostra? Scuti
ergo martyres nostri, sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes
sub dubio remunerationis premio, durum per exitum, diuturnum inire exitum.

s. A testimo-
nijs & hypo-
thesibus ad-
versariorum.

LXI. XV. Tandem peti potest argumentum à testimo-
nijs & hypothesebus adversariorum. De consensu
Enchiridii Coloniensis, Cassandri, Catharini & similium supra
diximus: nunc aliorum testimonia in medium afferemus. Vin-
centius refert l. 30. c. 107. Almericum Gallum anno Christi 1210. Pa-
risiis publicè docuisse, quemlibet Christianum debere firmiter & indu-
bitatò credere, se esse membrum ex Christi corpore, & hoc esse articulum
Christiane fidei, sine quo salutem nemo consequi possit. Jacobus Veldius,
quem Ægidius Topiarius, virum in re Theologica omnibus numeris ab-
solutissimum nominat, in Epilogo concionis, in Epistolam diei ci-
nerum, partes pœnitentiæ duas constituit, nempe tum contritio-
nem & confessionem Admi interni lugentis & plangentis peccata,
tum fidem in Deum firmam, & certam fiduciam gratiæ divinæ. Clau-
dius Guillandus Bellioensis Eduorum Ecclesiæ quondam Præ-
positus scribit in c. 6. Johannis: Credere in Christum, est certò apud se
statuere, per Christum contingere justitiam & vitam æternam, eiq; toto cor-
de, totà animà, totis viribus inharere. Hoc qui fecerit omnia bona comple-
ctetur, illisq; ex animo adhaerescet. Huc referri debet insigne testimo-
nium Petri de Riebadeneÿra, Jesuwitæ Hispani, quem Ægidius Albe-
rinus, Secretarius Bavaricus, in Germanicam linguam transtulit,
& cum licentia superiorum Monachii edidit, anno 1600. Verba
non adscribo, cum proluxa sint, & citata legi possint in libello
Dn. D. Crameri de prædest. c. 20. p. 304. seqq.

62. Quod

LXII. Quod denique Papicolarum hypoteses attinet, multæ illarum sunt, cum quibus dogma dubitationis conciliari minimè potest. Scribant enim 1. Legem à renato in hac vita perfectè impleri posse. 2. Peccatum originis per Baptismum penitènti tolli & extirpari. 3. Deum homini facienti quod in se est, dare gratiam necessario, nempe necessitate immutabilitatis. 4. Omne actum caritatis absolutè mereri vitam æternam. 5. Monachos habere opera quædam supererogationis, quæ aliis communicari queant in meritum vitæ æternæ. 6. Susceptionem Monasticam purgare ab omnibus peccatis. Quæ hypoteses si veræ sunt, ut veras esse volunt Pontificii, nullam certe dubitationem relinquunt amplius, sed potius immoram certitudinem gignunt. Si enim legem implevero, si peccatum originis sit sublatum, si Deus necessario dat gratiam, si omne opus bonum meretur vitam æternam, si Monachorum opera cedunt in salutem, & Monastica vita purgat à peccatis, quæ quæso de gratia, de peccatorum venia & de salute æterna dubitare potero? Imò & hoc colophonis loco querere lubet, cur Monachi suas oppignorent animas pro salute eorum, à quibus accipiunt beneficia? Cur Pontifex promittat remissionem peccatorum omnibus, quæ Romam excurrunt & Papales indulgentias querunt? Cur Angelis præcipiat, ut viatorum, Romam indulgentiarum gratiâ peregrinantium, si illos itinere mori contingat, animas protinus exceptas, in cælum rectè deportent? Si de aliorum salute tam certi sunt, cur de sua dubitant? Conciliari hæc vel palliari nullo modo queunt, sed pessimæ causæ sunt indicium, de qua cum fatis multa in medium attulerimus, hic conclusum volumus, cum ardenti voto, ut Deus firmam in animis nostris fiduciam excitet, excitatam conservet, & conservatam Spiritu adoptionis obsignet, ad ipsius gloriam, & salutem nostram sempiternam.

AMEN.

F I N I S.

XLII. Quod dicitur in scripturis hunc mundum
creatum esse in sex diebus. Et dicitur quod
in prima die creatus est lux. Et in secunda
terra. Et in tertia caelum. Et in quarta
sol et luna. Et in quinta arborum et
herbarum. Et in sexta hominum. Et dicitur
quod in septimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in octavo die creatus est
paradisus. Et dicitur quod in nono die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in decimo die creatus est paradysus. Et
dicitur quod in undecimo die creatus est
paradysus. Et dicitur quod in duodecimo
die creatus est paradysus. Et dicitur quod
in trigesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in sexagesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in nonagesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in centesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in quingentesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in millesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in vigesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in trigesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in quadragesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in quinquagesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in sexagesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in septuagesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in octogesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in nonagesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in centesimo die creatus est paradysus.
Et dicitur quod in quingentesimo die
creatus est paradysus. Et dicitur quod
in millesimo die creatus est paradysus.

F I N I S



3g 2909

(7/3)

ULB Halle

3

002 387 158




Sb. 06


3 1/2

VD 17

17.1







IO Λ Ο Γ Ι Α Σ
C R Æ
TIO XXIX.

De
TUDINE
TIONIS VEL
PECCATORUM.

ttet. Academia
ionem proposita,

RÆSIDIO
NERI, SS. Th. D.
Publ.

DENTE,
DERSCHOW
tano Boruffo.
m 26. Novembris.

BERGÆ,
IANIS, Anno 1618.